



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Liber Secvndvs

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

telligendum esse, ut omnia tandem DEI gratiæ insolidum ferantur accepta & adscribantur ex debito.

LIBRI SECUNDI,

CAPUT SECUNDUM & TERTIUM,

DE

Auxilio Gratiae inaequali.

Capite primo libri hujus secundi statum Controversiæ de *Communicatione Gratiae & Prædestinatione Divinâ* formaturus noster Bellarminus, ubi duas iterum sententias, quas vocat extremas recensuit, inter quas Theologos, uti nominat, Catholicos quam plurimos ac omnes *ferè* (Nota, *ferè*) media incedere via scribit, alteram extremarum priori, Pelagianorum videlicet, contrariam dixit esse eorum omnium, qui non agnoscunt distinctionem inter *auxilium sufficiens & efficax*, in quorum numero sit *Lutherus & Calvinus*, docentes, *multis deesse sufficiens auxilium ad salutem, omnibus videlicet iis, qui à massa perditionis Divinâ prædestinatione discreti*; quæ Lutheri & Calvini societas quàm impertinenter & contra fas omne sit instituta à Bellarmino, in antecedentibus non semel hæcenus est monitum, ut repetitâ hic protestatione opus esse non videatur. Quia verò hanc Controversiam multis constare capitibus vidit Bellarminus, quæ unâ responsione non possint absolvi, idè Propositionibus aliquot rem totam expedire conatus est; nobis ad eam tantum attentis, quæ ad Augustini auctoritatem videbuntur pertinere, & in questione sunt inter nos ipsosmet, adque Gratiae Divinæ magnitudinem contra hostes ejus defendendam possunt intervenire. Huc pertinet Propositio secunda, quæ utut sensu sano possit concedi, quia tamen à Bellarmino nimis crudè & intricatè fuit proposita, & magis implicata, quàm explicata, Augustino etiam ad partes tracto, quid de eâ orthodoxè sit statuendum, paucis oportet ut ostendatur. Ea hunc in modum formata legitur: *Auxilium Gratiae DEI non aequaliter omnibus adest*. Addit, Propositionem hanc in literis Divinis ita luculenter haberi, ut mirum videri possit, ab ullo unquam fuisse negatam. *Pergit*, Augustinum urgere *primo* locum ex cap. 4. libri sapientiæ, *Raptus est, ne Malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animum ejus*. Subjungit Bellarminus de suo, certè enim non omnibus hoc præstat DEUS, ut eos capiat ante-quàm labantur in peccata. *Deinde*, Augustinum urgere etiam verba CHRISTI ex cap. II. Matthæi, *Si in Tyro & Sidone hæc fuissent facta, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*. Ubi videmus, *inquit Bellarminus*, DEUM mirabili sed justo & noto sibi soli judicio non solum non omnibus æqualiter auxilia Gratiae subministrare, sed iis etiam, quos credituros prævidebat, si vidissent Miracula Christi, ea non ostendisse Miracula, & eadem illis ostendisse, quos prævidebat, *visis quibuscumque Miraculis credituros minimè*. Post aliorum quorundam Dictorum productionem sequentibus suam illustrare conatur sententiam exemplis: *Si Gratia aequaliter omnibus adest*, quomodo DEUS in præteritis generationibus permisit omnes ingredi vias suas, nunc autem adnuntiat, ut agant Pœnitentiam, Actor. 14. & 17? Cur Paulus illo ipso tempore, quo spirabat minas ad cædes in discipulos Domino, Miraculo Divino, CHRISTO ipsemet eum vocante convertitur, cum tam multos minus fortasse malos in delictis suis jacere permittat DEUS? Cur ex parvulis morientibus interdum filius optimi viri decedit sine Baptismo & perit, filius adulteri vel incestuosi Baptismo abluitur & regno potitur æterno? Cur demùm inscrutabilia dicit Apostolus judicia DEI, & investigabiles vias ejus in electione & reprobatione mortalium, *si gratia quæ omnibus adest aequaliter, ex arbitrio pendet hominum, ut capiant eam, vel abjiciant?* Et ne Bellarminus has contra æqualitatem gratiæ difficultates ex proprio videatur objecisse cerebro, præter aliorum auctoritates ad Augustini librum de *Prædestinatione Sanctorum* provocat, quasi is quoque isdem objectionibus contra Pelagianos æqualis Gratiae assertores fuerit usus, eandemque uti

erro-

erroneam & falsam profigaverit. Neque hoc contentus, ad ea etiam argumenta respondere laborat, quæ pro Gratia æqualitate putat militare; nobis iterum circa ea tantum occupatis, ad quæ intelligenda Bellarminus sententiam Augustini commendavit. Duobus igitur prioribus nunc prætermittis, tertium sumi dicit ex sequentibus verbis cap. I. Joh. *Quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem DEI filios fieri.* Hic enim videmus, inquit Bellarminus ex mente eorum, contra quos agit, Deum expectare, ut recipiatur, & tum demum his, qui receperint, gratiam dare, per quam filii possint fieri. *Sed responderet, Verè Deus expectat, ut recipiatur, ut det suscipientibus se potestatem DEI filios fieri.* Cæterum quia DEUM recipere in hoc Evangelii loco nihil est aliud, nisi credere, ut ibidem declaratur, cum subditur, *his, qui credunt in nomine ejus; nemo autem potest credere, nisi DEUS illi fidem donaverit, dicente Apostolo, vobis donatum est, ut in illum credatis,* ideo nemo potest eum recipere, nisi Gratia cum Divina prævenierit. *Gratia estis salvati,* inquit Apostolus, *per Fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim est donum,* q. d. Gratia potestatem accepistis, ut DEI filii efficeremini, quoniam per Fidem recepistis Deum, quæ Fides donum est Ipsius. Atque hoc ex Augustini autoritate se dicere, inde ostendit Bellarminus, quia lectori librum ejus primum ad Bonifacium, ca. putque tertium nominat, ubi nimirum uberior hoc sit demonstratum. *Quartum* sequitur ex Promissione Christi desumptum, *Petite, & dabitur vobis; omnis enim, qui petit, accipit.* Et, *Dabit Spiritum bonum, petentibus.* Sed respondere dicit Augustinum, non posse peti Spiritum bonum, nisi prius infundat fidem Spiritus bonus, & per eam exciet ad petendum. *Nam quomodo invocabunt, in quem non crediderunt,* inquit Paulus? Ad illustrandum hoc responsum inter alia scripturæ dicta provocavit quidem Bellarminus ad ea etiam Apostoli verba, quæ cum pluribus alibi hoc leguntur tenore, *Alteri datur fides in eodem Spiritu;* verum in *Recognitione* monuit notanter, Hoc loco non agi & Fide, quam omnes habent Christiani, quam esse donum Dei probandum erat, *sed de excellenti quadam Fide, quæ necessaria est ad Miracula facienda.* Utinam alibi quoque Bellarminus hanc habuisset mentem, & quæ minus aptè posuit in Controversiis, debitâ agnovisset & correxisset ingenuitate; pluribus certè augmentis has recognitiones suas potuisset exornare. Sed pergendum est, & quia ad quintum ordine & numero testimonium nulla Augustini legitur mentio facta à Bellarmino, ideò ad sextum progredimur, ex illis scripturæ dictis desumptum, quæ Deum non esse personarum acceptorem testantur, undè sequi videtur, quod Deus non magis ex se faveat uni, quàm alteri, sed volentes curari sanet, non volentes deserat. *Bellarminus responderet,* acceptio-nem personarum esse vitium contra Justitiam, & ideò locum non habere in donis Gratia.

Itaque in iis rebus, inquit, quæ quoquomodo sapiunt Justitiam, Deus est æquus omnibus, neque personas accipit, sed unicuique reddit secundum opera sua. At in donis Gratia nemini facit injuriam, si uni dat, quod negat alteri. Imò in ipso Judicio, quamvis acceptio personarum esset, alicui minus præmium dare, quàm justo mereatur judicio, vel majori adficere Supplicio, quàm reus sit dignus; tamen si alicui majus præmium aut minorem pœnam dare voluerit, non erit acceptor personarum, etiamsi id non cum omnibus fervet, quoniam hoc non est injustitiæ, sed liberalitatis, juxta illud, *Amice, non facio tibi injuriam.* Consentire autem in hoc Augustinum, & locis quidem duobus, videlicet in Epistola superius laudatâ post centesimam quinta, & capite septimo libri secundi ad Bonifacium, monet Bellarminus, qui septimum hoc subjungit argumentum, ex sequentibus Apostoli verbis desumptum, *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur;* nimirum, si voluerint ipsi. *Respondet Bellarminus* Apostolum loqui de resurrectione justorum corporali. Nam, explicante id Augustino, *non dicuntur vivificari in Christo, nisi, qui resurgunt ad vitam beatam, quæ sola vita est dicenda.* Impii enim resurgunt quidem, sed ad mortem, i. e. ad miseriam sempiternam. *Ultimum* tandem adferri posse censet Bellarminus ex Augustino, à quo vel invito, ut ajunt quidam, veritas extorsit testimonium. Nam in Psalmum quadragesimum & quintum, vel juxta Ebræos sextum, tractans illud, *Deus in medio ejus, non commovebitur,* sic ait, *Quid est Deus in medio ejus?* Hoc significat, quod æquus est omnibus, & personas non accipit. *Quomodo enim illud, quod est in medio, paria habet spatia ad*

omnes fines, ita Deus dicitur esse medius aequaliter omnibus consulens. Sed Bellarminus ad hæc verba respondet, loqui in eis Augustinum de iis tantum auxiliis, quæ aliquo modo sunt debita & sapiunt Iustitiam, ubi locum posset habere personarum acceptio; in his enim Deus omnibus est æquus, & non accipit personas, & aequaliter omnibus consulit, quia neminem impellit ad malum, omnes hortatur ad bonum, neminem punit nisi malum, neminem remuneratur nisi bonum, nulli communia subtrahit auxilia.

Alia verò est ratio donorum Gratia, quæ nemini sunt debita. Hæc Bellarminus contra æqualitatem Gratia, quæ si debita limitatione adhibita & cum certâ restrictione proposuisset, uti debuit videri omninò necessarium, Evangelicos in hac quaestione non haberet dissentientes. At quia confusè nimis & sine omni distinctione hanc tractavit Controversiam, Augustini testimonia minus ritè adplicans, in ordinem certum redigi debet, & quid de Gratia Divina æqualitate vel inæqualitate ad ductum S. Scripturæ & Augustini consensum statuere par sit, paucis ex Instituti ratione indicandum, Videlicet, non negant Evangelici, Gratiam Dei homines vocantis inæqualem esse quoad modum & tempus vocationis, Deo ex omnimoda arbitrii libertate sibi hic singulare quid reservante, cuius respectu nemo hominum præter id, quod expressè revelatum est, liberum sibi meripsum permittere debet iudicium, sed juxta exemplum Augustini occultas Domini vias, nunquam verò injustas, digito labiis imposito, mirari tantum & silentio sacro venerari. Horsum pertinet vocatio gentium in T. V. tantummodò per lumen naturæ omnibus commune. Abrahamigenarum verò per lumen Gratia extraordinaria, certis sacramentalibus & sacrificialibus sigillis. Miraculisque insignibus & pluribus documentis confirmatæ. Ita singularis & indebitus Gratia modus fuit, quod Christus Mundi Salvator Catholicus & universalis nasci voluit e gente Judaica, officioque Prophetico fungi inter Judæos, quia & Apostolis hunc ordinem præscribere in Evangelii prædicatione, ut Judæis primùm hanc offerrent Gratiam, post illos demum Græcis & gentilibus in universum. Neque minus ad hanc Gratia inæqualitatem debet referri, quod majoribus non planè nunquam radiis fulsit genti reprobæ & repudiatrici, quam ei, quæ gratâ mente recepisset eam, si ejus facta compos fuisset. De inæqualitate Donorum Gratia administrantium & Talentorum magis & minus habentium constat aliundè. Et quis omnes inæqualitatis modos breviter recenscat, quos à tot seculis, quibus terra homines alit, Deus post lapsum pro libertimo voluntatis nutu in vocatione gentium adhibuisse legitur, nulli omnino examini subjiciendos? Verùm, ut ut res ita se habeat, aliter tamen est loquendum, si sermo sit de ordinaria Dei omnes in universum homines ad se vocantis & Fidei donum ad Conversionem æternamque salutem offerentis Gratia, Christi Merito universali innixâ & superstructâ; absque ea enim si esset, nemo ob infidelitatem jure possit damnari & reprobari. Est nimirum voluntas Dei antecedens propitia & gratiosa erga omnes, nemine per absolutum quoddam Decretum excluso, quod paulò post ex ipsomet *Augustino*, prævio etiam ac duce Bellarmino, docebitur uberius. Ita autem hæc voluntas, & quæ eam sequitur, actualis in vocandis hominibus Gratia est sufficienter æqualis & aequaliter sufficiens, ut, si exempla quædam pauciora quamvis, extraordinaria vocationis excipiantur, quia in Grammaticis etiam, uti cæteris Artibus & Disciplinis, non facile regula occurrit sine aliqua exceptione, nemo hominum in ultimo die Judicii sit habiturus, de quo conqueratur, quasi non sufficientem & æqualem cum cæteris Gratiam acceperit, adeoque nulla omnino culpa in Deum ac Gratia sufficientis defectum redundatura. Et si enim in T. V. inter Judæos tantum habuit Ignem & Forum Sacrificiale, Deus, nemini tamen inter gentes aditum ad communis gratia hujus participationem fuisse præclusum leges profelytis præscriptæ docent aperitissime; eorumque exempla, quibus Divini cultus apud Judæos usitati ratio non displicuit, Deum Israelis ultrò agnoscenibus, eisdemque Sacrificia offerentibus, quos Salomo Regum ab initio Regiminis devotissimus in Oratione Templi à se extructi consecratoria & prævidit, & prædixit, & DEO commendavit. Quamvis etiam hodiernum potior orbis pars Muhammedismo, Gentilismo, nondum ubiq; per eos, qui Apostolorum vestigia premere conantur, destructo & extirpato, quin & diffuso hinc inde Judaismo occupetur, ut eorum non faciam hic mentionem, qui ad Christi Ecclesiam pertinere, inque ea vivere putantur, in plures & innumeras ferè dispersi sectas, quarum quævis præ altera, imò cæteris omnibus veritatis & or-

& orthodoxiæ gloriam sibi solet adtribuere, ut ut omnibus his & singulis post æqualem & universalem ante hæc quindecim secula Apostolorum prædicatione Gratiæ, nequiter & summâ cum ingratitude repudiatam Deus non sit debitor ad reditum & Gratiæ semel repulsæ restitutionem, sufficere tamen iis potest & debet fama non adeo obscura religionis Evangelico-Christianæ vereque Apostolicæ, cujus Rivuli quemadmodum in orbe Europæo per Dei Gratiæ fatis puri fluunt, ita non planè nullas aliorum quoque demittunt venas aurifluas, plurimum daturas commodi, nisi in cursu impidentur, ac plerique in cæno traditionum humanarum ac Satanicarum superstitionum mallent voluntariis semetipsos à Gratiæ Dei nunc & in posterum excludentes.

His præsuppositis & observatis faciliè nunc patet, quid in Discursu Bellarmino de Inæqualitate Gratiæ, adpositisque Augustini testimoniis, quibus eam confirmare studuit, justè possit ac debeat desiderari, quidque in eo adprobandum, quid verò reprobandum sit. Ea certè, quæ ex Augustino adduxit, talia sunt, quæ cum sententia Evangelicorum sufficienter nunc explicatâ pugnare minimè, sed egregiè potius conveniunt, modò ad eum referantur scopum, quem Augustinus intendit, & non plus ultra extendantur. Ipsum igitur Bellarmini propositionem de inæqualitate auxilii Gratiæ quod attinet, si de motibus Gratiæ non primis & ordinariis, sed singularibus & extraordinariis voluit intellectam, neminem ex orthodoxis habet sibi contrarium. Atque sic intelligi debere, illa scripturæ loca evincunt, quæ Augustinum in hac Controversia urgere monuit Bellarminus, opere quamvis non indicato, quod tamen constat aliunde, ut in Examine statim indicabitur. Et de priore quidem loco ex libro *sapientiæ*, præter ea, quæ circa auctoritatem ejus non Canonicam observavit Augustinus, ita in opere de *Prædestinatione Sanctorum* scripsit: *Quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis, dum justi sunt, auferantur, alii verò justi, donec à Justitia cadunt, in eisdem periculis vitæ productiore teneantur, quis cognovit sensum Domini?* Et paucis intercedentibus hoc idem refert inter *Judicia ejus inscrutabilia*. Plura ibidem leguntur hanc Quæstionem illustrantia, quæ prolixius exscribere vetat instituti & præscriptæ brevitatis ratio. De posteriore verò ex Matthæo amplius quid debet notari, quia majorem videtur habere in sensu difficultatem. Ita autem Augustinus in alterâ hujus operis parte de *Bono Perseverantia*: *Cur non dicatur & ipsum Evangelium cum tanto labore passionibusque Sanctorum frustra esse prædicatum, vel adhuc etiam prædicari, si judicari poterant homines etiam non audito Evangelio secundum contumaciam vel obedientiam, quam eos præscivit Deus fuisse habituros, si audissent. Nec damnarentur Tyrus & Sidon, quamvis remissius, quam ille Civitates, in quibus non credentibus à Domino Christo mirabilia & signa sunt facta, quoniam si apud illas essent facta, in cinere & cilicio penitentiam egressent, sicut se habent eloquia Veritatis, in quibus verbis suis Dominus Iesus altius nobis Mysterium prædestinationis ostendit.* Notanter scripsit, *altius Mysterium*; ne ad ordinarium Prædestinationis modum omnibus electis communem & æqualem imprudenter & impertinenter quis referret. In proximè sequentibus ubertim repetit, quæ ad hujus Testimonii sensum alibi antehac prolixius docuerat, hoc observatu dignum subjungens: *Quidem Disputator Catholicus non ignobilis hunc Evangelii locum sic exposuit, ut diceret, præscisse Dominum, Tyrios & Sidonios à Fide postea fuisse recessuros, cum factis apud se Miraculis credidissent, & Misericordia potius cum illis ista non fecisse, quoniam pœna graviore fierent obnoxii, si Fidem, quam tenuerant, reliquissent, quam si eam nullo tempore tenuissent.* Hanc sententiam utut Augustinus non per omnia facit suam, tamen nec omninò alienam à Mente sua ostendit, hanc post aliqua addens Censuram: *Si dicatur, cur non factum est, ut crederent potius, & hoc eis præstaretur, ut antequam relinquerent Fidem, ex hac vita migrarent, quid responderi possit, ignoro.* Quæ indicant, Augustinum hoc idem in eundem cum antecedente censum retulisse, adeoque ab ordinaria & communi omnibus vocatis Gratiæ exclusisse. Eodem ferè modo judicat etiam de iis extra ordinem Exemplis, quæ Bellarminus porò ad demonstrandam Gratiæ inæqualitatem profert in medium. Ad primum pertinet, quod alibi respondit ad sequentem Porphyrii objectionem: *Si Christus se viam salutis, Gratiæ & Veritatem esse dicit, inque se solo ponit animis sibi credentibus reditum, quid egerunt tot seculorum homines ante Christum?* Inter plura

Epist. 49.
Quæst. 2.

plura hæc scribit: *Cum Christum dicimus Verbum DEI, per quod facta sunt omnia, & ideo Filium, quia Verbum, nec Verbum dictum atque transactum, sed apud Patrem incommutabilem incommutabile ipsum atque incommutabiliter manens, sub cuius regimine universa spiritalis & corporalis creatura pro congruentia temporum locorumque administratur, cuius moderanda & gubernanda, quid, quando & ubi circa fieri oporteat, sapientia & scientia penes ipsum est.* Post aliqua addit, *Quid autem quando fiat, quod ad unam eandemque fidelium & piorum liberationem pertineat, Consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus.* Iterum post quædam, *Exceptâ altitudine illâ sapientiæ & scientiæ DEI, ubi fortassis aliud Consilium Divinum longè secretius latet, sine præiudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ à prudentibus queunt investigari, hoc solum brevitate gratia in huius Quæstionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus adparere CHRISTVM, & apud eos prædicari suam Doctrinam quando sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerunt credituri.* Hæc Augustinus, quæ in sequentibus deducit amplius, non quasi putet, se ac rem tetigit, & ad huius Mysterii penetralia pervenisse, sed ut aliquid respondeat interrogantibus, de cætero hic etiam ad altitudinem sapientiæ & secretius DEI Consilium provocans, simul, quod insuper bene notandum, contestatus, *Voluntatem Dei nunquam defuisse ad salutem iustitiae pietatique mortalium, quæ verba observatu dignissima uti citatis anteposuit Augustinus, ita potissimum responsi momentum continent, ejusdem cum superiori tenoris, quo Judicia Dei dixit quidem inscrutabilia, sed tamen non injusta.*

De Pauli Conversione admirandâ, quam Bellarminus pro gratiæ inæqualitate adducit, dictum est ex Augustino sufficienter in antecedentibus; unde potest constare, Exemplum hoc ad præsentem Controversiam impertinens esse; quod de casu sequenti infantum sine Baptismo decedentium verum quoque est, prout hæc Quæstio peculiarem supra habuit tractationem; hic sine causa, non readsumendam. Quod tandem attinet ipsam Pauli de iudiciis Dei inscrutabilibus exclamationem, fatendum est ex hæcenus adductis, Augustinum non semel eâ contra Pelagianos usum, sed non in demonstranda Gratia Dei homines per Verbum & Sacramenta vocantis ordinaria & communi, verum in explicandis casibus extraordinariis & singularibus, de quibus tamen hic non esse sermonem, sæpè jam dictum est. Ad librum verò Augustini de *Prædestinatione sanctorum* dum provocat Bellarminus, quasi in eo pro Gratia inæqualitate contra Pelagianos Gratia æqualis adfectores militaverit, etsi non omnino inficiemur, aliqua eum huc pertinentia hic & ibi inseruisse, tamen hunc primarium huius operis fuisse scopum; vix quisquam in se suscipiet defendendum. Nuperus certe scriptor Historiæ Pelagianæ, *Henricus de Noris*, Veronensis, Augustinianus ita de argumento ejus cenfer, doceri in eo, *Semipelagianos caligare in Quæstione de Prædestinatione sanctorum, nec recedere eos à Pelagii sententia, si arbitrii humani viribus Fidei initia adscribant, incrementum certè ejusdem Deo dare, esse superbia, quasi vellent priores sibi tribuere partes, Deo posteriores.* Et quamvis Pelagius cum suis sectatoribus aliquam Gratia æqualitatem docuerit, non tamen eandem docere Evangelicos, ipsomet Bellarmino teste constare potest, qui sub initium huius Controversiæ Pelagianos & Evangelicos in extremis sententiarum à semet invicem distare scripsit, ut ad eam eandem consentire non possint. Hinc quidquid nunc porro dicitur ad Bellarmini responsiones, per quas objectionibus pro Gratia æqualitate satis conatus est facere, non in gratiam sententiæ Pelagianorum fiet, sed potius, ut ostendatur, quousque possint admitti ex sententia Augustini. Et tertium quidem Testimonium de potestate filiationis accepta à Deo, etsi rectè ostensum est à Bellarmino ex auctoritate Augustini, non pertinere illud ad æqualitatem Gratia Pelagianam, præventæ nimirum ab Arbitrii libertate, non sequitur tamen, evertere illud simul æqualitatem Gratia Evangelicam, prævenientis videlicet omnem humanæ voluntatis motum, eam excitantis, à servitio peccati liberantis, ad donum Fidei suscipiendum moventis, vires suppeditantis, sufficienter & efficaciter operantis, & nisi contumacia voluntatis vel noluntatis præva reluctetur, ipsam Fidem salvificam, tanquam ordinarium Gratia ulterioris impetrandæ instrumentum conferentis, atque sic Conversionis opus omnino perficientis, quam DEI Gratiam in se consideratam, prout in universali hominum vocatio-

I.H.c.V.
p.190.

catione ad Ecclesiam per Verbum & Sacramenta sese exerit, & nullus ex absoluto quodam Decreto ab eadem excluditur, non esse inæqualem, ipsum universale Christi Meritum docet, quod tanquam Panacea sicut contra omnes peccati morbos inferuit, ita etiam omnibus in universum hominibus peccati morbo laborantibus prodest æqualiter, nisi semetipfos gratia hac faciant indignos. Atque hanc esse mentem Augustini, sequentia indicant verba, illi extantia, quorsum Bellarminus lectorem aبلغavit: *Datur potestas, ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, ut credant in eum; quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla potest esse ex Arbitrio libero, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit, sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor inferuit, vel ipse sibi persuasit.* contra duas epist. Pelag. l. 1. c. 3. Indicat satis aperte æqualitatem Gratia in conferendâ Fide, non ex arbitrii libertate Pelagianam, sed ex liberatoris benevolentia verè Evangelicam, omnibusque communem. Idem de quarto dici debet argumento & Bellarmini ad illud responso ex Augustino. Malè videlicet Pelagiani argumentabantur ex verbis Christi promissoriis de exauditione precum pro Gratia preces antecedentias subsequentiæ æqualitate, quod Augustinus verbis à Bellarmino citatis ostendit; rectè autem è contrario Evangelici ex Augustino contra Pelagianos & eorum successores docent, Gratiam preces prævenientem easque in nobis efficientem, ordinariam nempe, quæ cum ipsa confertur Fide, esse communem, nec cuius dari peculiarem. Hoc tam clarè patet ex Augustini responso, quo Bellarminus contra Pelagianos est usus, ut qui velit in dubium vocare, possit videri ipsam veritatem examini subicere. Dixit nimirum sanctus Doctor, *ponere Pelagianos merita gratiam prævenientia, quod sit petere, querere, pulsare, ut his meritis illa reddatur debita, atque sic inaniter gratia nuncupetur*, addito hoc responso, *tanquam nulla præcesserit gratia & cor tetigerit, ut beatificum peteretur à Deo bonum, ut quereretur Deus, ut pulsaretur ad Deum, frustra que sit scriptum, Misericordia eius præveniet me &c.* Quanta igitur sit inter æqualitatem gratiæ à Pelagianis & Evangelicis adsertam, qui non videt, nihil videt, et si forte sibimetipsi & aliis tenebrarum filiis oculatissimus. Nunc sextum sequitur argumentum de Personarum acceptione, quæ sicuti negata Deo videtur æqualitatem Gratia post se trahere, ita dum Bellarminus in responso eam esse dicit *vitium contra Iustitiam*, aliqua correctione videtur opus habere. Non licet hic ea ponderare dicta, quæ à Deo abesse dicunt acceptionem personæ, ut ut ad Institutum inservire possent satis commodè, æqualitatem Gratia in vocatione hominum confirmantia non parum, quod ex contextu facillimum est probatu. Hoc notetur tantum contra illimitatam Bellarmini sententiam, non omnem Personarum acceptionem esse injustam, ac posse, imò debere eam certo quodam respectu adscribi Deo, exemplis in utroque Testamento id confirmantibus, è quorum numero eminet Persona Christi, sine cuius respectu nemo hominum vocatur, regeneratur, convertitur, justificatur, Fide donatur, in eadem conservatur, & tandem per eam salvatur, quod Bellarminus omninò prætermittere non debuit; qui de cætero æqualitatem Gratia Evangelicam juxta insigniter, scribens, *acceptionem personarum in Donis Gratia locum non habere.* Id enim volunt & urgent Evangelici in adstruenda Gratia æqualitate, nimirum, quod Deus ex voluntate antecedentia & universali sine personarum respectu, ac nemine per absolutum quoddam Decretum excluso, omnibus in universum hominibus optimè velit, nemini aditum ad gratiam præcludat, sed æqualem singulis gratiam largiatur, et si non æqualiter ab omnibus acceptetur, à multis accepta etiam per summam ingratitude ad propriam perniciem & æternam damnationem repudietur. Verba etiam, ut ut parabolica, *Amice non facio tibi injuriam*, quibus utitur Bellarminus, omnem tollunt personarum acceptionem ponunt è contrario Gratia æqualitatem, si ea ad hanc Quæstionem licet adplicare, prævio hic etiam Augustino in altero locorum, ad quæ Bellarminus remisit lectorem, ubi sequentia leguntur: *In illa operariorum similitudine, ubi unum acceperunt denarium, qui unâ horâ, & qui duodecies tantum laboraverunt, qui utique secundum rationes humanas, sed vanas, pro quantitate laboris sui duodecim denarios accipere debuerunt, utrique in bono (NB.) coæquati, non alii liberati, alii damnati sunt, quia & illi, qui plus laboraverunt, & quod sic vocati sunt, ut venirent, & sic pasti, ut non deficerent, ab ipso Patre familiæ habuerunt.* II contra duas Pelag. epist. c. 7. De proprio & literalis sensu hujus Para-

Para-

Parabolæ in sequentibus agendi dabitur occasio, nunc sufficit ad hominem disputando ex Augustino rationem argumentandi Bellarminianam retulisse & retorsisse. *Septimum*, quod restat, argumentum pro gratiæ æqualitate Evangelici nullatenus faciunt suum, præsertim cum illâ Glosâ Pelagianâ, *si voluerint ipsi*, hæcenus non semel inculcato inter voluntatem & noluntatem hominis quoad negotium Conversionis discrimine, hanc videlicet solam esse in libero, vel potius servo hominis arbitrio, illam verò motam in solidum prævenienti gratiæ Dei adscribendam. Libenter etiam Evangelici quoad explicationem verborum Pauli de fidelium communi revivificatione vel à mortuis resuscitatione in Christo, id est, per Christum, ad vitam & beatitudinem æternam, subscribunt sententiæ Augustini, cui tamen visus est consensum denegasse *Cornelius à Lapide*, sibi met ipsi non constans atque dubius, quomodo hoc Apostoli testimonium ritè sit intelligendum.

Unicus restat Augustini locus ex Commentario in Psalmos, quem uti Bellarminus ex mera liberalitate videtur exhibuisse, ita responsum, quo mentem ejus ad suas trahere laboravit partes, Evangelicis auctoritatem Doctoris augusti non aufert, sed confert potius. Hoc quidem negari non potest, sensum propriè liberalem ab Augustino in hisce verbis Divini Psalms non fuisse observatum, id, quod de his Commentariis Davidicis alii plures & pluribus exemplis observant. Verba tamen, quibus per sensum, uti vocant plerique Commentatores hodierni, anagogicum in medio Civitatis Ecclesiasticæ Deum esse dixit Augustinus, in terminis quasi terminantibus æqualitatem gratiæ ita clarè describunt, ut omnem respuant Glosam sensus contrarii illaricem, quam commentus est Bellarminus. Nam nulla voce vel syllaba poterit probare, loqui Augustinum ibi de auxiliis secundum Justitiam debitis, ubi locum habere possit personarum acceptio. Imò sibi met ipsi Bellarminus in antecedentibus est contrarius, dum *in Justitia* personarum acceptioem dicit locum habere, quam supra vitium esse dixit *contra Justitiam*. Quando autem extra Justitiam de Donis Gratiæ loquitur, iis nimirum, quæ Deus in vocatione hominibus ordinariè solet conferre & largiri, nihil est, quod impediatur, quo minus æqualem intelligamus Gratiam, multa autem sunt, quæ eam ponunt, nemine non vocatorum id per debitam mentis gratitudinem agnoscente, qui per hanc Vocationis gratiam sufficiens donum Fidei acceperunt, uti à contrario etiam nemo poterit jure obinæ qualem & insufficientem gratiam contra Deum tanquam minus sibi benevolum & salutis suæ cupidum conqueri.

CAPUT QUINTUM & seqq.

De

Auxilio ad salutem, Conversionem & peccati evitacionem sufficiente.

Contra Bellarminum non modò, sed *Iansenium* quoque *Ipsems* proposita Quæstio nos agere jubet, ut Veritas Evangelica in hoc etiam Controversiæ puncto inter errores media incedens via agnoscat, atque Augustinus contra non unius generis accusationes hic etiam Testis & Confessor ejusdem orthodoxus ex debito Ecclesiæ verè Catholicæ restituatur. De *Iansenio* quidem fateri cogimur, eum, uti in aliis Fidei punctis fundamentalibus contra recentiorum quorundam Scholasticorum innovationes multa graviter monuit ex Augustino, ita hic à regio tramine, & quidem contra mentem Augustini, ad alterum extremorum declinasse, & ob semel receptam irresistibilis Gratiæ, ejusdemque particularis hypothésin, adhibita vi quâdam, aliqua Augustini testimonia insigniter torfisse, atque sic non parvam Doctori sancto injuriam intulisse. *Bellarminus* autem, etsi contra hunc errorem ante *Iansenium* bene satis videatur ex Augustino scripsisse, quia tamen ex antecedentibus constat, quem foverit errorem circa distinctionem Gratiæ sufficientis & efficaciæ, hanc solis adscribens electis, illam verò tanquam inefficacem, & si dicendum est ex vero, verè insufficientem infidelibus, ob id ipsum debitæ ex Augustino censura subjectus, hinc, dum in hujus etiam Quæstionis tractatione eun-

eundem semper insinuat, addito *Auxilii* termino pro vocabulo *Gratia*, cujus respectu supra quoque correctionem admittere fuit coactus, sine necessariâ animadversione non debet prætermitti, sed potius Veritas ex Augustini consensu contra utrumque Antagonistam reponi in solido. *Bellarminus* rem hanc diversis agit propositionibus, quas antecedentibus ordine & numero succedere voluit. Quinta igitur post secundam proximè excussam hæc est: *Auxilium sufficiens ad salutem pro loco & tempore, mediâtè vel immediâtè omnibus datur.* Videri posset orthodoxa factis hæc propositio, nisi error latens jam fuisset indicatus, ut uberiori non opus habeat expositione. Nunc ad ea respiciendum est, quæ Augustini adtinent auctoritatem. Et quidem post testimonium ex Psalmo post decimum nono, Augustini quâdam paraphrasi ex Commentario ejus illustratum, inter plura ad propositionis confirmationem provocat ad classicum Apostoli Pauli locum, universalem, omnibus sufficientem & simul efficacem in se, atque ad eodè æqualem Dei Gratiam sequenti verborum tenore commendantis, *Vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire*; addens, exponi cum variisquidem modis ab Augustino, sed illam Expositionem maximè videri congruere Apostoli sententiæ, quam habeat in libro *de Spiritu & literâ*, exponendo Quæstionem, *cur Deus non det omnibus velle credere, cum velit omnes salvos fieri?* hac responsione subjecta, *Deum velle omnes fieri salvos, sic tamen, ut non adimat eis arbitrium liberum, quo vel bene utentes, vel male judicantur justissimè*, addito, *infideles contra Dei voluntatem facere, cum Evangelio non credunt, non tamen vincere voluntatem Dei, quoniam experiuntur in supplicis potestatem ejus, cujus misericordiam in Donis contempsit*; posita etiam similitudine Domini, qui vult, ut omnes servi laborent in vinea, sic tamen, ut, si quidam noluerint operari, detrudantur in pristinum. *Bellarminus* hanc adponit Epicrisin, *Ex his intelligimus, hanc fuisse Augustini sententiam de hoc Apostoli loco, Deum velle omnes fieri salvos, quia dat omnibus, undè possint velle credere & salvari, sic tamen, ut, si noluerint ipsi, non salventur, sed ad supplicia destinentur æterna.* Post ubi propositionem hanc alius Patrum testimonio munivit, ad Augustinum veniens monet, cum præter hunc locum ex opere de *Spiritu & literâ* alium habere apertissimum in opere de *libero Arbitrio*, iisdem verbis repetitum & confirmatum in opere de *Natura & Gratia*, ne fortè post exortam hæresin Pelagianam dicatur revocatus, quo respondeat hominum querimoniæ, dicentium, *se non posse vincere Concupiscentiam & Ignorantiam*, verbis sequentibus: *Rectè fortassis quererentur, si erroris & libidinis nullus victor existeret. Cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem vocet aversum, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitatus ignoras, sed, quod negligis querere, quod ignoras, neque illud, quod vulnerata non colligis membra, sed quod volentem sanare contemnis.*

Hæc ad propositionem quintam ex Augustino, sequitur sexta, quæ ita habet: *Auxilium Dei sufficiens & necessarium ad resurgendum à peccato, etsi nulli desit pro tempore & loco, non tamen abest omnibus momentis.* Hanc propositionem non à se primum dicit adseri, sed ante se eandem confirmasse *Alphonsum Tostatum, Adrianum* hujus nominis sextum Papam, *Thomam Cajetanum, Iohannem Rossensem, Driedonem, Quardum Tappirum, Andream de Vega.* In recognitione autem monet observandum, Authores istos, non hoc solum dicere, quod ipsè, sed aliquid etiam aliud quod ipsè non dicat, videlicet, aliquibus hominibus vel ob gravitatem, vel ob multitudinem peccatorum in reliquâ vita DEUM certo decreto Auxilium denegare, citatis nominatim *Tostati, Adriani, Cajetani* verbis, quibus præter *Anselmum & Isidorum Hispanensem* favere etiam videatur Augustinus in *Explicatione quarundam sententiarum Epistola ad Romanos*, his verbis: *Non deputabatur Pharaoni in peccatum, quod Deo non obtemperaret, quoniam obdurato corde non poterat obedire.* *Bellarminus* addit, Ego, sicut tantos Authores reprehendere non audeo, ita pium esse credo, sentire de DEO in Bonitate, ut nulli sint, qui pro tempore & loco, dum vivunt, Divinæ Gratiæ respectu non visitentur. Nunc septima succedit propositio: *Auxilium sufficiens ac necessarium ad vitanda peccata omnibus hominibus & omni tempore vel immediatè vel mediâtè à Divina Benignitate præstatur.*

Ad ultimum hujus propositionis partem confirmandam duplici utitur testimonio ex Augustini scriptis, quorum prius est ex opere de *Natura & Gratia*, ubi hunc in modum scripsit, *Admonet nos Deus facere quod possumus, & petere quod non possumus*. Posterius ex opere de *Gratia & libero Arbitrio*, sequentibus verbis, *Ideo quaedam jubet, quæ non possumus, ut sciamus quid ab illo petere debeamus*. Integram verò propositionem ex initio Commentarii in Psalmum quinquagesimum & sextum, vel juxta Ebræos septimum confirmat, Augustino ita scribente, *Non imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile indicaret, ut hoc ab homine fieret. Si considerans infirmitatem tuam defecis sub Præcepto, confortare in Exemplo. Sed & exemplum multum est ad te. Adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxiliium*. Quia autem observavit Bellarminus, ea Augustini in Explicatione quarundam sententiarum Epistolæ ad Romanos verba, quæ in citatâ *Recognitione* sibi falsus est aliqua ex parte adverbium, videri esse contraria argumento, quod ordine tertium ad propositionis confirmationem de excæcatis & obduratis adduxit, ideò de conciliatione non parùm fuit sollicitus, laborans strenuè, ne Augustinum videatur deseruisse. In genere observat, Augustinum de Judæis excæcatis & obduratis disserentem monere, ne quisquam propter ejusmodi excæcationem audeat negare liberum arbitrium, aut excusare peccatum. Alibi apertissimè eum dicere, reos fieri & verè proprieque peccare illos etiam, qui à Deo deserti suis cedunt cupiditatibus, à Diabolo superantur atque vincuntur. In specie ad locum, qui videtur huic sententiæ contrarius, notat, Augustinum, cum ait, *Pharaonem non peccasse, quando jubenti DEO non parebat*, videri significare voluisse, non potuisse Pharaonem obedire ex corde, ita ut converteretur, & ideò non fuisse imputatum illi in peccatum, quod non converteretur, quoniam pro eo tempore converti obdurato corde non poterat, cum quo tamen benè cohæret, inserit Bellarminus, ut potuerit Pharaonem facere secundum substantiam operis, id quod DEUS jubebat, & ideò peccasse, quia non facit.

Addit tandem, fortassis etiam postea mutavit sententiam Augustinus, quia in aliis locis jam citatis aliter longè loquatur de peccatis obduratorum, quam in hoc libro loqui videatur. Ad argumenti, porro hujus, quod de excæcatis & obduratis sumserat Bellarminus, adunctionem, quod videlicet nemo peccet in eo, quod vitare non potest, quam esse scribit certissimam, aliqua citat Augustini loca, ex quibus veram existimat esse propositionem, nemini unquam deesse auxiliium, quo possit vitare peccata. Hoc autem non contentus, iis etiam facere satis studuit Bellarminus, quæ ab aliis contra hanc rationem tertiam vidit objici, inter alia verbis Christi Phariseos ita adloquentis: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum, &c.* quæ Augustinum exponere dicit rectè, quod cæci dicantur à Domino, qui agnoscunt suam cæcitatem, videntes autem, qui lumen sibi arrogant, cum revera sint cæci. Præterea introducit eum de inceptu Lothi cum filiabus disputantem, quod videlicet non fuerit voluntarius, nisi in causa, id est, Ebrietate, adeoque non puniendus, quantum merebatur incestus, sed quantum merebatur Ebrietas, quia non fuerit peccatum à causa sua distinctum.

Subjungit proximè Bellarminus, Quod si omnia excæcatorum & obduratorum peccata non essent peccata, nisi in causa, id est, in peccato originali, non possent puniri in Gehennâ, nisi penâ mitissimâ; nam originale peccatum ex Augustini doctrinâ mitissimam meretur penam. Et post aliqua, itaque Augustinus rectè scribit, *ea, quæ volumus rectè facere, & ob ignorantiam aut difficultatem ex originali peccato natam non possumus, non dici peccata, nisi improprie & per figuram Metonymiæ, quomodo linguam adpellamus verba, quæ per linguam offeruntur*. Et capite antecedente dixerat, *illa sola verè ac proprie dici peccata, quæ per liberum arbitrium possunt vitari*. Alibi etiam distinguit peccatum originis à peccato vitæ propriæ, quod illud alienâ, hoc autem propria contrahatur voluntate, scribens, *Sine propria voluntate nullum vitæ propriæ potest esse peccatum*. Neque, scribit Bellarminus, per propriam voluntatem intelligit actum voluntatis quemcunque, sed solum actum liberum, qui sit in nostra potestate; nam opponit propriam alienæ &c. Denique idem Augustinus inquit, *si ve iniquitas, si ve injustitia, nisi esset in volun-*

cap. 43.

cap. 16.

NB.

Tract. 53.
in Joh.
lib. 7. in
Jul. c. 5.

Joh. 9.

lib. 22. con-
tra Faust.
c. 44.lib. 3. de
lib. arb.
c. 19.lib. 1. de
peccat. me-
rit. c. 35.l. 22. con-
tra Faust.
c. 78.

voluntate, non esset in potestate. Porro, si in potestate non esset, nulla pœna justa esset. Quod non sapit, nisi qui desipit.

Inter objectiones postmodum præter quædam Scripturæ loca, etiam diversa septem ex Augustino testimonia recenset, ad singula tamen respondens, ut nunc videbitur. *Primum* ex opere Retractionum hoc est: *Qui cogenti cupiditati voluntate bona non potest resistere, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Quod si aliqui cogenti cupiditati resistere non possunt, quæ Bellarmini est ex mente adversariorum argumentatio, certè non habent auxilium sufficiens ad non peccandum. Rursus ibidem, *Quantum est, quod valet voluntas, nisi fortè, si pia est, ut oret auxilium?* Ergo, addit Bellarminus, non ex sua, sed opponentis mente, si voluntas non sit pia, non habet auxilium sufficiens, ne quidem ad orandum. *Respondet autem,* Non desunt, qui cogenti cupiditati resistere non possunt, manente ea cupiditate, tamen non necessariò ea cupiditas in ipsis hæret, possunt enim cum auxilio DEI illam exuere; quod auxilium nemini deest, quo tempore præceptum occurrit observandum. At si voluntas non est pia, non potest, ne auxilium quidem, petere. Ita est, potest tamen pia fieri, si Gratia prævenienti voluerit consentire. *Secundum* ita habet, *Peccatum est, cum vel non est charitas, quæ debet esse, vel minor est, quam debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si non potest, præterita voluntas hoc facit.* Bellarminus respondet, Augustinum loqui de eo, quod non potest vitari, non absolute, sed ex hypothesi, quia videlicet non potest vitari dominante prava cupiditate, sed potest per gratiam DEI dominatus auferri cupiditati, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore. *Paucis interjectis,* sic intelligit Augustinus illud Johannis de Phariseorum incredulitate, *Non poterant credere, quia dixit Esaias, excæcavit oculos eorum;* dicit enim, *illos non potuisse credere Mentis cæcitate durante potuisse tamen removere cæcitatem.* Et in ipso libro de Perfectione Justitiæ, postquam dixerat, peccatum esse, sive vitari possit, sive non possit, continuo subjungit, *Et tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.* Tertium sequitur, *Dederat adjutorium primo homini, sine quo non posset permanere, si vellet.* Et infra, *Si autem hoc adjutorium ei defuisset, non utique sua cecidisset culpa. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non debitum.* Addit Bellarminus ex opponentium sententia, videtur Augustinus apertissimè hoc loco dicere, adjutorium necessarium ad non peccandum non omnibus dari; nam si omnibus daretur, non esset in ullo pœna peccati ejus carentia.

Atqui dicit Augustinus, quibus autem deest, jam pœna peccati est. Et præterea distinguit Augustinus duo hominum genera, unum eorum, quibus hoc adjutorium in peccati pœnam, id est, ex Justitia non datur; alterum eorum, quibus ex Misericordia & Gratia datur. Non igitur omnibus datur, *Bellarminus respondet,* Augustinum non loqui de adjutorio necessario ad vitanda singula peccata, sed de adjutorio necessario ad vitanda omnia, hoc est, ad perseverandum sine omni peccato, & per adjutorium intelligere Gratiam habitualem. *Quartum* succedit, *Scriptura Epist. 107. ad Vitalem,* *Gratiam DEI non omnibus dari.* Bellarminus respondet, Augustinum loqui de Gratia, quæ discernit fideles ab infidelibus, & justos ab impiis, sicut alibi etiam loquitur, vocans Gratiam ipsam Fidem & charitatem, sive illam persuasionem internam, quæ facit nos reipsum velle credere & converti. *Quintum* porro accedit, *lib. I. de Prædest. Sanct. c. 5. de Gratia Christi, c. 46.* quo Gratiam DEI necessariam esse dicit Augustinus, *non solum, ut possimus velle & facere, sed etiam, ut velimus & faciamus.* At non habent, ita iterum Bellarminus argumentatur opponentis loco, omnes Gratiam DEI, quæ velint & faciant; igitur non habent omnes Gratiam necessariam. *Respondet* autem, Pelagianos distinxisse inter posse, velle & facere. Et posse quidem dicebant nos habere ex dono DEI, quoniam à DEO habeamus liberum Arbitrium, in quo sit ipsa possibilitas. At velle & facere dicebant esse nostrum, neque in his egere nos Gratia Dei. Contra errorem hunc scribit Augustinus, *Gratiam DEI non solum dare nobis posse, quia videlicet dat arbitrii libertatem, sed dare etiam velle & facere, quia liberum arbitrium non potest suis viribus solis velle & facere.* Itaque aliter accipit eo loco Au-

Epist. cit.
ad Vital.

Augustinus posse, quam nos accipimus. Nos enim per posse intelligimus, quod ipsum velle & facere sit in potestate voluntatis à DEO præparatæ & adjunctæ; Ille verò per posse intelligit ex mente Pelagianorum solas vires liberi arbitrii. Sextum subjungitur, quo Augustinus probat, Fidem esse Dei donum, ex orationibus, quas pro infidelibus fundit Ecclesia, quæ, ut ipse dicit, essent supervacaneæ si possent infideles sine Dei auxilio velle credere. At idem sequi videtur absurdum, si dicamus, auxilium sufficiens omnibus dari. Quorsum enim oramus pro infidelibus, si jam habent omnes auxilium, quo possunt credere, si velint? Bellarminus respondet, Augustinum efficacissimè Pelagianos & eorum reliquias ex orationibus Ecclesiæ refellere. Illi enim docebant, Deum non prævenire homines Gratia suâ, sed expectare, ut ipsi veniant & Gratiam petant. Quod si ita esset, frustra peteret Ecclesia, ut Deus credere nolentes ad Fidem converteret, & ex nolentibus faceret volentes.

lib. 4. contra
Jul. c. 8.

At contra nos argumentum illud ex orationibus Ecclesiæ nihil omninò concludit. Fatemur enim, Dei Gratiam sæpius efficere, ut infideles etiam obstinati convertantur & credant. Et quamvis pie credamus, Deum corda omnium pro tempore & loco pulsare, rectissimè tamen petimus à Deo, ut sæpe ac sæpius pulset, & non solum pulset, sed etiam per efficacem Gratiam aperiat corda pertinacium & obduratorum; præsertim cum sciamus, Deum velle multa Beneficia in homines conferre, sed simul velle pro iisdem orari & supplicari, & non nisi per orationes sanctorum velle ea concedere. Septimum restat & ultimum, ubi falsum esse docet Augustinus, Deum velle omnes fieri salvos, si & ipsi velint, & probat, quoniam si res ita se haberet, Deus esset benevolentior sceleratissimis, quam innocentissimis, quoniam vellet salvos fieri omnes adultos, quorum multi sunt, qui nolunt, & non vellet salvos fieri omnes parvulos, quorum nemo est, qui nolit. Bellarminus respondet, Augustinum disserere contra Julianum, qui existimabat, Deum non velle absolute ullum salvare, sed omnes sub conditione, si & ipsi velint, præveniendo videlicet Deum sua voluntate, qui quidem error, addit Bellarminus, evidenter ex prædestinatione parvulorum refellitur, qui per Baptismum salvantur, cum tamen sua voluntate minimè prævenit Deum. Rursus ita pergit respondendo, docebat Julianus, parvulos nullum habere peccatum, & si decedebant absque Baptismo, habituros suam quandam vitam æternam extra Regnum Cælorum, & ideo solum de adultis dicebat, Deum velle omnes salvare, si & ipsi velint. Hunc errorem accommodatè refellit Augustinus illo argumento, quod Julianus faciat Deum sceleratissimis, quam innocentissimis & purissimis ab omni labe peccati benevolentiorum.

At, porro scribit Bellarminus, ex sententiâ nostrâ non sequitur hoc absurdum, primo, quia parvulos non baptizatos non censemus esse innocentes, sed peccatores. Secundo, quia non dicimus, Deum non velle ullum salvare absolute voluntate, imò credimus, Deum absolute voluntate vel salvare multos, tum parvulos, tum adultos & absolute voluntate alios non velle salvare, tum parvulos, tum adultos. Tertio, non dicimus, Deum antecedente voluntate velle salvare solum adultos, sed etiam ad parvulos hanc voluntatem extendimus, quamvis aliter parvulis, aliter adultis sufficientia provideat remedia; nam parvulis in parentibus suis præbet auxilium, adultos autem ipse per se vocat, excitat, illuminat. Illud tamen est verum, neque ab Augustino negatur, Deum interdum esse benevolentiorum aliquibus adultis & sceleratissimis, quam multis parvulis minus malis. Quis enim audebit inficiari, benevolentiorum fuisse Deum Paulo, Matthæo, Magdalena, Latroni in Cruce secum pendenti, quam plurimis parvulis sine Baptismo decedentibus, cum tamen eos adultos longè deteriores fuisse istis parvulis non liceat dubitare? At si Deus vult antecedente voluntate omnes fieri salvos, non solum adultos, sed parvulos etiam; cur Augustinus contendit, per vocem omnes intelligi multos, id est, omnes, qui salvantur, non omnes absolute respondeo, inquit Bellarminus, quia voluit hunc locum exponere de voluntate absolute, secundum quam Julianus existimabat Deum neminem velle salvare; alioquin ipse etiam Augustinus in libro de Spiritu & literâ hunc eundem locum de voluntate antecedente exposuit.

Hæc

Hæc prolixè satis Bellarminus, bona iterum, ut in antecedenti Quæstione factum, malis immiscens, ac contra seipsum, (quod hæcenus observatum non semel, hic quoque scribens, quod suo ostenditur loco, ubi ordo examinis eo nos deducet. In genere autem circa ipsam propositionem *quintam* de auxilio sufficienti, quod à Deo omnibus pro tempore & loco, mediatè vel immediatè dari ad salutem defendit, notandum, videri posse non immerito mirum, quod eam non nisi sub termino *Probabilitatis*, ut ex fine capitis quinti patet, lectoribus commendaverit, cum tamen nuper scriptor, *Franciscus Macedo*, Augustinianus, in Collationibus Doctrinæ Scoti & Thomæ, etsi contrariæ opinioni particularitatem defendenti addictus, agnoscere fuerit coactus, Catholicos, uti vocat, Doctores, præsertim Scholasticos, *magno eam consensu arripuisse*, & post Patres Græcos pariter & Latinos, quorum nomina recensentur, *omnes penè in eandem conspirasse*, quos itidem numero non pauco additis eorum scriptis commendat, quamvis non tacitis eorum quoque nominibus, quibus alia placet sententia, *Augustino* præ omnibus aliis laudato, tanquam ad hos posteriores, non priores illos pertinente, de quo post videbitur. *Joh. Baptista Gonetus* etiam, in Clypeo Theologiæ Thomisticæ contra novos eius impugnatores, tres circa quæstionem hanc proponens authorum sententias, de prima, quæ omnibus (etiam) reprobis media ad salutem sufficientia dari à Deo docet, expressè adierit, *eam tenere recentiores communiter*, utut de secunda, quæ inter adultos & parvulos distinguit, illis, non istis sufficientia conferri media statuens, è *Vasquezio* moneat, *hanc docere Theologos omnes alicujus nota*, de tertia quoque, quæ non omnibus reprobis ea conferri, sed quosdam in peccati pœnam illis privati existimat, ex eodem *Vasquezio* observans, esse eam Augustini, quam ipse *Gonetus* etiam, etsi cum quadam limitatione verbi *dare*, prout correlativum est ad verbum recipere, ex Augustini autoritate suscepit defendendam, nobis ad Bellarminum nunc respicientibus, visuris, quomodo propositionem suam ex Augustino demonstravit, *Iansenio* ad partes vocato, universaliter sufficientem & communem omnibus Gratiâ nullatenus admittente, quod non parvum videri debet momentum, cujus respectu hæcenus Evangelici, qui alias non pauca Jansenii contra recentium Scholasticorum Theologiam Monita suo adprobant calculo & in acceptissimis habent, ejus Augustino non in omnibus potuerint subscribere, sed jure aliqua in eo emendanda adque saniores sensum ex ipsomet Augustino ritè intellecto reducenda desiderarint. Specimen hujus potest præbere quæstio præsens, circa quam uti Bellarminus ex aliqua parte ad Augustini & Evangelicorum sententiam videtur inclinare, ita Jansenius è contrario amplexus est opinionem his oppositam, ad Augustinum provocans quidem, sed non ea dexteritate, qua in cæteris Fidei capitibus. Ante omnia autem, quia Bellarminus cum pluribus aliis ad auxilii pro omnibus sufficientiam sufficienter demonstrandam usus est testimonio Pauli de universali voluntate Dei satis manifesto, agnoscens quidem, variis ab Augustino modis id expositum fuisse, eam tamen ex libro de *Spiritu & litera* proferens expositionem, quam Apostoli sententiæ quam maximè putavit congruere, maximum in eam fecit impetum *Iansenius*, plurimum conatus, ut hoc telum adversariis extorqueret, atque Augustinum ad suas & sequacium traheret partes, scribens, *Scholasticos recentiores tam enormiter hic aberrasse, ut directè oppositum ejus, quod Augustinus ex professo docuit, ipsi ex professo ex verbis ejus excusperint*. Quis non miretur, inquit, hoc tam oculatis viris accidere potuisse? Quis verò miretur, postquam accidit, eos in mirabilium hallucinationum seriem, uno errore ex alio consequente, præcipitatos, totam Christianæ & Medicinalis Gratiæ faciem esse perturbatam?

T. I. Col-
lar. 12.
Differ. 3.
Sect. I.
p. 517.
& seqq.

T. II. Disp
V. Artic. 5.
p. 95.

T. III. II.
c. 30. p. 219
& seqq.

Addit se in antecedentibus declarasse, quod objectionem adversantium Augustino pro ipsius doctrina ceperint, idemque in sequentibus demonstraturum, eos non dissimiliter objectiones contra Christi gratiam pro solutione erroremque pro veritate cepisse. Et postquam revocavit in memoriam, Augustinum antequam suscepisset Episcopatum, in illo errore Pelagiano hæsisse, quem postea Massilienses amplexi sunt, videlicet, *Fidem, quâ primitus Deo credimus, non à Deo per gratiam dari, sed præcedente Veritatis præconio ex libero proficisci arbitrio*, adversus quem errorem sæpè postmodum disputaverit Augustinus, illamque quæstionem, in quâ

tam proclivem periculosumque lapsum suo senserat malo, non semel solvisse, tam ante exortum hæresis Pelagianæ, quam contentione per hanc motâ jam fervente diversis operibus & scriptis; in specie & nominatim ad librum de *Spiritu & littera* progreditur, in quo eum solvisse hanc Quæstionem dicit, quod ita manifestum esse putat, ut prodigii loco sit, quomodo in mentem erudito alicui venire possit, verba, quæ ex illa disputatione pro sententia decerpserunt, Bellarminus videlicet cum sequacibus, Augustini sensum continere, nisi quia excogitata arreptaque opinio quoquo modo in sanctissimi Doctoris autoritate fundanda videbatur.

Iterum post plura ex variis locis parallelis adducta putat, Augustinum hoc in loco non suam tradere Doctrinam, sed adversariam; *non docere, sed disputare; non adserere; sed refellere, adeoque mirabili hallucinatione recentiores objectionem pro solutione, responsum Pelagianam pro Augustini doctrina, pro veritate errorem accepisse.* Gravis omnino hæc est accusatio, & non nihil æstimanda, quia de Augustini consensu in materia de auxilio omnibus sufficiente, adeoque Gratia Dei & voluntate erga omnes in universoni homines universali actum erit, si locus hic & pauci quidam alii tanquam impertinentes & inidonei erunt seponendi. Atqui non contentus hac accusatione *Iansenius*, ubi in sequentibus laudatum Apostoli locum ex professo sumit exponendum, prolixius eam & uberius longè profectus est, triplicem proponens hujus testimonii Paulini Explicationem Gratia universali contrariam, Augustini semper autoritate simul adducta. *Primam* esse dicit, ut Deus dicatur omnes homines velle salvos fieri, accommodata scilicet distributione, omnes, qui nimirum salvantur, seu quod idem est, quia nemo fit salvus, nisi quem Deus voluerit salvum fieri, &c. *Secundam* verò, per quam in verbis Apostolicis intelligenda sit distributio non pro singulis generum, hoc est, pro omnibus omnino hominibus, sed pro generibus singulorum, hoc est, pro omni genere hominum, Judæis & gentibus, servis & liberis, Principibus & privatis, doctis & indoctis, adultis & parvulis, viris ac mulieribus &c. *Tertiam*, ut DEUS dicatur omnes homines velle salvos fieri quia facit, ut sancti homines salutem omnium velint & optent & orando desiderent, non voluntate signi tantum præcipiendo, ut omnium salutem velint, sed eis etiam hanc ipsam voluntatem, hoc desiderium, hanc sollicitudinem inspirando. Ex his tribus lectori liberum relinquit, quam velit eligere, cum singulæ earum Textui Apostolico non mediocriter congruere ex Augustino videantur, ut nulla sanè necessitas sit, ad illam Pelagianis omnibus probatam Expositionem fugere, quasi omne alioquin effugium esset interclusum.

Necessum fuit hæc ex *Iansenio* prolixius aliquanto adponere, quia is neque primus, neque solus de testimonio Apostoli ac Augustini circa ejus sensum mente ita scripsit, sed plures & olim habuit, & adhuc hodiernum habet, qui idem non tam constanter, quam pertinaciter urgent, quamvis utriusque autoritas sufficienter in gratiam veritatis orthodoxæ sit demonstrata & ab objectionibus in contrarium vindicata. Restat nunc, ut de Augustino ad Pauli sententiam secundum hypothefes Evangelicorum solliciti videamus, ad quorum partes jure meritoque debeat referri, ne porro hinc indè trahatur, ac in dubio sit, quid sanctus hic Doctor, uti in cæteris Fidei capitibus, ita in hoc etiam publice contra veritatis hostes docuerit. Antequam verò id fiat, *Iansenio* ad alterum, ut vidimus, extremorum hic declinanti opponendus est ex Scholâ Pontificia, qui causam universalis DEI Gratia & auxilii omnibus æqualiter sufficientis ad Augustini mentem agat eundemque orthodoxis restituat.

Est is è numero plurium, qui *Iansenium* scriptis oppugnarunt, *Dionysius Petavius*, si ullibi, hic certè pro Augustini sententia pugnant fortiter, & plerisque omnibus ferè palmam præripiens. Agnovit quidem, videri eum existimasse, DEUM neque salvos omnes esse velle, neque pro omnibus pati voluisse CHRISTUM; aliis autem DEUM velle omnium, nullo excepto, salutem, & ad eam

Theol.
Dogm.
T. 4. p. ult.
l. 13. de In.

ad eam capeffendam idonea Gratia ac Vocationis conferre subsidia, tum verò, ^{cap. c. 3. & seqq.} CHRISTUM quantum an ipso est, omnibus consuluisse, & gratiam vitamque morte sua peperisse, adeò, ut si qui ab eà excidant, qui quidem uti libertate sua possunt, vitio suo ac voluntaria pravitate jacturam illius faciant, tanquam ipsi gratia non gratia ipsis defuerit. Hanc sententiam posteriorem, quam *Petavius* suam facit, pluribus confirmare nititur ex Augustino locis, quæ omninò hic merentur legi, quatenus inserviunt Instituto. *Primus* est ex libro de *catechizandis rudibus*, ubi Pater augustissimus ita loquitur: *A pœnis sempiternis DEVS Misericors volens* ^{cap. 2. 6.} *liberare homines, si sibi ipsis non sint inimici, & non resistant Misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum suum.*

In margine notat, *Hincmarum* in libro de Prædestinatione legere, *omnes homines*, addens, etiam si vox *omnes* adjuncta non sit nihilominus ex iis, quæ proximè subjicit Augustinus, eundem existere sensum. *Secundus* est ex opere *retractationum*, ubi, quod antehac contra Manichæos in opere de Genesi scripserat, *illud, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, pura eorum corda* ^{1. l. c. 3.} *illuminare, qui DEO credunt, & ab amore rerum visibilium & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt, quod omnes possunt, si velint*, examinans, negat eo Pelagianos abuti posse, *Verum est enim*, ^{1. l. c. 10.} *inquit, omnes omninò homines hoc posse, si velint, sed preparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut possint.* Animadvertendum hic dicit *Petavius* magnopere. Augustinum cum retractat hanc sententiam, id est, expolit, & à Pelagianâ vindicat calumnia, nihil in eo commutare aut modificare, quod dixerat, *posse omnes converti, si velint*; sed illud solum interpretari, quomodò possint converti, & quod erat omisum, supplere, nimirum, gratiæ adjuvatorum ad illam requiri Conversionem. *Tertius* est ex opere de *Spiritu & literâ*, quem tanquam præcipuum in primam collocavit aciem Bellarminus, circa cujus sensum etiam occupatissimus fuit *Jansenius*, ne videlicet universali gratiæ videatur favere, ostendit tamen *Petavius*, cum turpiter lapsum & hallucinatum esse in eo, nec Augustini mentem esse adsecutum, sed eam perversa neque consideratâ satis interpretatione detorsisse, inter æterna observans, quod quam-maximè huc pertinet, Augustinum ibi non nudam ac solum nominâle liberum arbitrium, sed addidisse *DEI vocationem*, id est, *primam gratiam & inspirationem*. Alia plura, quæ circa hoc Testimonium uberius contra *Jansenium* notavit *Petavius*, brevitate causa prætermitto, ut & cætera ex Augustino loca, quæ his conjunxit, nobis hæc triade nunc contentis.

Et postquam in gratiam partis adversariæ tres illos repetiit modos, quibus ex Augustino verba Pauli de universali voluntate DEI dixit explicari posse *Jansenius*, hæc additâ animadversione, non necessum esse ad illa nos confugere, *velut laborantis ac periclitantis sententia subsidia*; in se suscepit demonstrandum, Augustinum in eâ perpetuò fuisse sententia, *quod DEVS generalem & antecedentem omnium servandorum voluntatem habuerit*, qualem scilicet omnes Græci Patres & antiquiores Latini, ac paucis exceptis hodieque omnes Theologi Catholici DEO ac CHRISTO tribuat. non licet hæc utpotè proluxa nimis, huc exscribere; sufficiat locum cognovisse, ubi contra *Jansenium* id per partes explicatur, addito etiam illorum Ecclesiæ Doctorum consensu, qui post Augustinum hanc tractarunt Controversiam. Ut unum adhuc addam, *Ignatius der-Kennis*, ejusdem cum *Petavio* Societatis, in Disputationibus de *DEO Vno, Trino Creatore*, ^{Disp. 12. de Provid. Dei, c. 3. p. 236.} pari ferè modo sententiam Augustini contra *Jansenium* & ejus adsecclas explicat & defendit inter alia de testimoniis Augustini, quæ universalem DEI voluntatem videntur infringere, & aliquam inducere gratiæ particularitatem, hanc in margine suppeditans observationem, *Augustinum negare sensum, quo Pelagiani volebant, DEVM velle omnes homines salvos fieri, non ipsam adsertionem sanè intellectam*; id est, prouti in ipso Textu explicat, *restrixisse tantum Pelagianis in eo, quod dicerent, liberi Arbitrii viribus homines posse salvari, & DEVM eos velle salvari, eo ipso, quod liberum eis dedisset arbitrium.* Observationem hanc

vid. D.
Calov. de
Syncret.
pag. 259.
Quæst. 68.

hanc non esse de nihilo, neque habendam insuper, ii cogentur agnoscere, qui orthodoxiam Augustini eunt defensum, de eo solliciti ex debito, ne Doctor hic Ecclesiæ augustissimus & gratiæ DEI contra hostes ejus vindex gloriosissimus videatur inconstans & sibi met ipsi contrarius fuisse. Atque id etiam observarunt Doctores Evangelici, mentem augustini accuratius aliquanto indagantes, ita ut nullum amplius esse possit dubium, quin Pater hic Sanctus verum Apostoli sensum de universali voluntate & gratia DEI habuerit & firmiter tenuerit.

Sequitur nunc Propositio Bellarmini *sexta* de Auxilio sufficienti ad resurgendum à peccato, quam si voluit intellectam de statu non primæ Conversionis, sed pœnitentialis à peccato resurrectionis, quoad vocabulum *Auxilii* nos Evangelicos sibi habet consentientes. Quia verò in *recognitione* inter Authores, quorum placita in hujus *Quæstionis* tractatione se non omnino & absque omni exceptione amplecti protestatur, Augustinum quoque recenset, cujus de Pharaonis induratione sententiam videtur habere aliquatenus suspectam & improbabilem, ideo quid de eâ statuendum sit, breviter videbimus. Equidem in explicatione Propositionis *septimæ*, eandem Augustini sententiam inter objectiones ponens, conciliari studuit cum aliis ex eo testimoniis. Sed dum post in *recognitione* plenum ei noluit assensum præbere, videtur aliquam in eâ agnovisse difficultatem, respectu cujus duxit consultum ab eâ manum abstinere. Operæ igitur non planè nullius erit pretium, in mentem sancti Doctoris accuratius inquirere. Id autem meliorum cum successu fieri non potest, quam si integer contextus, unde pauciora Bellarminus depromsit, inspiciatur, qui sic habet: *Legimus in Exodo, obduratum est cor Pharaonis, ut tam evidentibus signis non moveretur. Quod ergo tunc Pharaon non obtemperabat præceptis DEI, jam de supplicio veniebat. Non autem quisquam potest dicere, obdurationem illam cordis immerito accidisse Pharaoni, sed judicio DEI retribuentis incredulitati ejus debitam penam. Non ergo hic illi imputatur, quod tunc non obtemperaverit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur, priori infidelitate. Sicut enim in his, quos elegit DEVS, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per DEI munus operentur bene; sic & in his, quos damnat, infidelitas & impietas inchoat penam meriti, ut per ipsam etiam penam operentur male.*

Hæc verba posteriora, quæ Bellarminus omisit, si ritè attendisset, vix quidquam superfuisset, quod ejus consensum in hoc etiam retardare potuisset. Sed & in antecedentibus sunt aliqua, quæ dubitare non sinunt, quo minus pie de DEI bonitate Augustinus sensisse sit credendus. Notanter nimirum scripsit, quod Pharaon *tunc* non obtemperabat, per particulam *tunc* tempus obdurationis Pharaonicæ distinguens. Videlicet, varia DEUS præmiserat gratiæ sufficientis testimonia, quibus cor Pharaonis & Ægyptiorum jure debebat emolliri. Habebant ad tempus non breve Josephum, singulari Divinâ dispensatione missum, cum totâ Patris domo & familia non multo post sequente ita ut vera fidelium Ecclesiâ, sine dubio non omnino muta & ab omni cultu publico remota, domicilium & sedem suam habuerit in Ægypto. Et ubi hic DEI populus gravi persecutione posteris temporibus, Josephi beneficiis ingrata oblivioni traditis, fuit pressus & variis afflictionum modis tantum non planè oppressus, misit Moſen & Aaronem cum manu miraculosâ, cor & animum Pharaonis efficaciter tactura, quod etiam non omnino caruit successu. Quia autem Pharaon cum suis DEI digitum ex ipsa Magorum confessione agnoscens, voluntati tamen ejus & mandato noluit obtemperare, sapiusque à Moſe admonitus in Pace populum dimittere, de *Supplicio veniebat*, ex Augustini sententia, *ut signis tam evidentibus non moveretur, meritoque id ei accidebat, DEO penam incredulitati ejus debitam retribuente.* Hinc cætera etiam Augustini verba intelliguntur, scribentis de Pharaone, *illi non fuisse hoc imputatum, quod tunc non obtemperaverit; videlicet, non solum, quia antecedeabant plura, quorum respectu DEUS cor Pharaonis obdurari permisit, ita ut sibi relictus, DEO gratiæ manum retrahente, obtemperare non posset amplius.*

Atque sic alibi etiam docuit Augustinus, nominatim in opere *Quæstionum octoginta trium*, ubi leguntur sequentia: *De Pharaone respondetur facile, prioribus Meritis*

Meritis, quibus adfluxit in regno suo peregrinos, dignum esse effectum, cui cor obduratur, ut nec manifestissimis Signis DEI iubentis crederet. Et quibusdam interpositis, Numquid latebat Pharaonem, quantum boni consecuta fuerint terra per adventum Iosephi? Illius ergo rei gesta cognitio fuit ejus vocatio, ut populum Israel misericorditer tractans non esset ingratus. Quod autem huic vocationi noluit obtemperare, sed exercuit in eis crudelitatem, quibus humanitas & Misericordia debebatur, pœnam meruit, ut illi cor induraretur, & tantam mentis cacitatem pateretur, ut tot & tantis tamque manifestis DEI Signis non crederet, quo posset ejus supplicio sive obdurationis, sive visibilis ultime submersionis crudiri populus, cujus afflictione & occultæ obtusionis, & manifesta submersionis meritum sibi compararet.

Satis clarè mentem suam expressit Augustinus de difficili hâc Quæstione, quod etiam præstitit in Quæstionibus ad Exodum, ex professo tractans eam, sequentibus verbis: *Assidue dicit DEVS, indurabo cor Pharaonis, & veluti* Quæst. 18. *causam infert, cur faciat hoc, & implebo Signa & portenta mea in Ægypto, tanquam necessaria fuerit obduratio Pharaonis, ut Signa DEI multiplicarentur vel impleverint in Ægypto. Virtus ergo DEVS bene cordibus malis ad id, quod ostendere vult bonis, vel quod facturum est bonis, & quamvis uniuscujusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis; & tamen qualitate malâ, ut huic vel illuc moveatur, cum sive huic sive illuc malè moveatur, (ex) causis sit, quibus propellitur animus, quæ causa ut existant vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occultâ providentia, justissimâ planè & sapientissimâ, universum quod creavit dispositionis & administrantis DEI. Ut ergo cor tale Pharaon haberet, quod patientiâ DEI non moveretur ad peccatum, sed potius ad impietatem, vitii fuit proprii. Quod verò facta sunt ea, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret jussionibus DEI, (hoc enim est, quod dicitur induratum, quia non flexibilitèr consentiebat, sed inflexibilitèr resistebat,) dispensationis fuit Divinæ, quæ cordi tali, non iusta solum, sed iusta evidentèr pœna parabatur, qua timentes DEVM corrigerentur. Tandem subiungit, Videndum est sane, virum sed etiam possit accipi, ego indurabo, tanquam diceret, quam durum sit, demonstrabo. Hanc explicationem postremam etiam Augustinus problematice tantum, & quasi non omninò improbabilem, multò minus analogiæ fidei & phrasi scripturæ contrariam proponat, digna videtur tamen, quæ non planè rejiciatur, sed uberioribus ansam præbeat Meditationibus, ad Institutum præsens non imperinentibus.*

Parens sic, spero, mens Augustini & sententia ejus orthodoxa de induratione Pharaonis, quæ multis aliis difficultatibus etiam hodiè videtur obnoxia. Id non omninò prætermittendum est, Iansenium hic quoque aliam indagasse viam, verba Augustini in explicatione sententiarum quarundam Epistolæ ad Romanos enucleandi post Bellarminum, quem præter Vasquezium citat, putans, eorum sensum longè alium esse, quam verba præ se videantur ferre. Nam, subiungit, quamvis rectè colligatur inde, quod sufficienti Gratia careant omninò, qui corde obdurato omninò non possunt obtemperare, quod Augustinus dubitavit nunquam malè tamen infertur illum obdurati cordis actum, quem ei dicit non imputari, non fuisse peccatum, nam ex cœcatorum atque obduratorum actiones malas, qui præceptum vel cœcitate, vel impotentia non possunt implere, vera esse peccata, pœnis etiam, adeoque damnatione persequenda, semper & post scriptum librum illum, & in ipso eodem libro satis apertè docuit. Et quia existimat Iansenius, qui hunc Augustini locum rectè & genuinè cupiat intelligere, quorundam ejus principiorum debere recordari, post cætera id monet observandum, quod Augustinus, cum istum scriberet librum, illo adhuc tenebatur errore, quo putabat ita istam primævæ felicitatis libertatem periisse, ut tamen quædam re mansissent reliquæ, ex quibus arbitrium in utramque partem esset liberum, ut crederet vel non crederet, quamvis gratia libertatem & potestatem ad operandum deberet adferre, Augustino ipsomet in libro de Prædestinatione Sanctorum rectè. Hoc ubi laboravit ex ipso operis textu ostendere Iansenius, exinde putat

Tom. III.
lib. 3. c. 12.
pag. 348.
& seqq.

Q. 110
107
108
109
110

c. 3. & 4.

con-

constare, Augustinum ex illo errore totam seriem operum bonorum revocare ad fidem tanquam ad liberi arbitrii meritum, & e contrario totam seriem operum malorum, quæ ex obduratione sequuntur, revocare ad infidelitatem primam, quâ nolunt credere, tanquam ad meritum liberi arbitrii; reliqua verò opera, sive bona, sive mala, non tam vult esse nostra, quàm Divini Muneris & Supplicii, quo bona & mala opera ex promerito Divinæ gratiæ beneficio & obdurationis iudicio consequuntur. His iterum uberius expositis addit, hanc suo iudicio esse veram ac germanam loci illius explicationem, Augustini principiis omnibus conformissimam; quæ quamvis falsa sint, subjungit tandem *Jansenius*, & ab ipso retractata eò quod arbitrium post originalis peccati infirmitatem non magis liberum sit ad credendum, quàm operandum, sed utrumque per Spiritum Fidei & charitatis debeat dari; neque minus primâ infidelitas, quàm obduratio ex originalis peccati supplicio consequatur, genuinam tamen Augustiniani sensus explicationem continent.

Hæc *Jansenius* suis inserviens hypothefibus semel receptis ad defendendum, aliqua dicens ex vero, non tamen sine labis mixturâ & contradictione manifestâ. Nimirum recte scripsit, & quidem ex Augustini sententia, obdurati etiam cordis actum esse peccatum aternâ damnatione dignum; malè autem, & si res ritè ponderetur, contradictoriè, ac insuper etiam contra mentem Augustini, ubi statuit, gratia sufficienti omnino carere, qui corde obdurato omnino non possunt obtemperare. Quomodo enim Justitia DEI eos punientis in aeternum defendetur, qui omnino caruerunt sufficienti gratia, & omnino non potuerunt obtemperare? Hæc certè simul stare non possunt, nec ullâ ratione inter se conciliari, omni carere gratia ad obtemperandum, & tamen propter inobedientiam damnari. *Augustinum* quoque ab hæc sententiâ procul abesse, quæ reprobis DEI gratiam sufficientem denegat, ex iis constat, quæ supra capite peculiari de gratiæ sufficientis efficacia prolixissimè sunt adducta, quod Bellarminus etiam in præsentî Controversiâ occupatus ad Propositionem septimam ex Augustino studuit evincere. Videlicet non omnimodam & absolutam obediendi impotentiam in reprobis agnovit Augustinus, quæ nullâ omnino ratione possit superari, sed hypotheticam certis conditionibus circumscriptam, per quam posita mentis pervercia in homine reprobo impossibile est vel rectius videtur, ut Divino se subjiciat nutui, ordinemque ab eo præscriptum observet, quod ex adductis paulò ante testimoniis de Pharaonis induratione factis est manifestum. Quæ subjungit *Jansenius* de errore Augustini circa fidem ex libero hominis arbitrio ab ipso retractato, benè quidem se habent, sed num ritè hic adplicentur, inquiri posset, nisi mens verborum, de quibus egit Bellarminus, jam esset indicata sufficienter, eque parallelis illustrata.

Igitur ad ipsum nunc redeo Bellarminum, ejusdemque septimam, cujus modo est facta mentio, Propositionem, quæ uti sano sensu accepta non reprobatur, ita dum in ejus explicatione provocat ad diversa Augustini ex opere de *Natura & Gratia*, item de *Gratia & libero Arbitrio*, item ex Commentariis in Psalmos testimonia, quæ Auxilii sufficientiam non solum ad vitanda peccata, sed insuper etiam ad implendam legis Divinæ Præcepta videntur probare, ab ipso Bellarmino, ubi hanc Quæstionem tractat ex professo, reproducta ostendendum erit suo tempore, cum illuc devenietur, id minime Augustinum intendisse, eumque ab hoc errore immunem omnino fuisse. Verba CHRISTI de Judæorum cecitate & ab Augustino ritè sunt explicata, & à Bellarmino adplicata, nullamque præterea desiderant operam. Neque omnino impertinenter Augustini de incestu Lothi cum filiabus sententiam justo mitiorem sub examen vocavit Bellarminus, nisi quod in modo ejusdem & sibimetipsi contradixit vel scripsit, ac quoad originalis peccati poenam Augustino alienam planè imposuit opinionem, ut paulò post ex ipso ostenderetur Bellarmino. Quæ præterea ejusdem Instituti causa ex opere Augustini de *libero Arbitrio* ante motam à Pelagio controversiam contra Manichæos scripto ad emolliendum originalis peccati reatum adduxit Bellarminus, aliam planè exhibent sententiam, si ipsius Augustini verba attendantur quæ non planè nihil immutata Bellarminus, adque suam

vid. D.
Danh.
Theol.
Conf.
p. 109.

sua mentem composita exhibuit lectori. Ea plenius in loco leguntur ita: *Cum ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem vocet a- versum, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod ignoras invitus, sed quod negligis querere, quod ignoras, neque illud, quod vulnerata non colligis membra, sed quod sanare volentem contemnis. Ista tua propria sunt peccata. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter, quod inutiliter ignoratur, (NB. ad marginem notatur, aliter alibi hæc legi, scilicet, querere, quod ignorat inutiliter) & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut querenti & subsequenti subveniat ille, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat. Nam illud, quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dicuntur peccata quia de illo libera voluntatis peccato ducunt originem, istud enim præcedens ista meruit sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur, sed illud etiam, quod hujus membri motum consequitur, id est, formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina; sic non solum illud dicimus peccatum, quod proprie vocatur peccatum libera enim voluntate & à sciente committitur, sed illud etiam, quod jam de hujus supplicio consequatur est necesse.*

In prioribus quidem hujus testimonii verbis videtur Augustinus de originali peccati reatu mirius aliquantò judicasse, sed, quod ex locorum similibus post hæc adducendorum & contra falsos interpretes vindicandorum collatione fiet manifestum, id intellectum noluit de reatu in se considerato, verum quatenus propter CHRISTI redemptoris sufficientissimi meritum nemo hominum respectu originalis peccati solius, sed peccatorum id consequentium, in specie, peccati Infidelitatis, ejusdemque finalis damnatur & reprobat. Hujus distinctæ considerationis tam clara præbet Augustinus in his verbis documenta, ut magis clara & perspicua non potuerit. Atque sic etiam in antecedentibus scripsit, quorum porro provocat Bellarminus, *Quid peccat in eo, quod nullo modo potest caveri?* Loquitur nimirum hic etiam de peccato non originali, quod nobiscum nascitur, sed peccatis actualibus, ad quæ vitanda ipse Bellarminus docet auxilium sufficiens & necessarium hominibus à Divinâ Benignitate præstari, in quo Evangelicos sibi omnino habet consentientes. Falso autem & præter debitum Bellarminus hanc Augustino adscribit sententiam, quasi statuerit, *illa sola verè ac proprie dici peccata, quæ per liberum arbitrium posuit vitari*, quia non solum supra aliud circa descriptionem peccati originalis fuit ostensum, sed & infra idem circa descriptionem pœnæ & meriti ejusdem ex Augustino demonstrabitur, imò etiam ex testimonio proximè citato contrarium planè patet, dum originale peccatum proprie vocat peccatum, actualia verò de supplicio ejus consequi dicit, & quod sæpissimè alibi etiam incurrat, simul pro pœnis peccati originalis habet. Eundem habent quoque sensum, quæ Bellarminus partim ex opere *de peccatorum meritis & remissione*, partim ex opere contra Faustum adduxit.

Sequuntur alia septem Augustini testimonia, ad quæ ab aliis pro gratiæ DEI insufficientiâ è diversis ejus scriptis objecta Bellarminus respondere tentat, ubi quamvis thesin suo sensu bonam defendit, tamen hic & ibi delabitur ad aliqua quæ censuram merentur, & in quibus ab Augustini mente dissentit. Et quidem in responsione ad *tertium* nescio quid velit, distinguens inter peccata singula & omnia. *Qui* enim adjutorium DEI necessarium habet ad omnia peccata vitanda, non video, quomodo ei possit denegari adjutorium DEI necessarium ad singula? *De gratia habituali*, quam hic iteratò inculcat Bellarminus, supra ex Augustino dictum est, unde huc desumi potest informatio. In responsione ad *quartum* persuasioni internæ adscribit velle credere & converti, quod insufficienter dici ad mentem scripturæ & Augustini, ex antecedentibus itidem sufficienter constat. Ad *quintum* circa descriptionem sententiæ Pelagianorum pertinet, quod supra ex *Petavio* fuit observatum, accusante videlicet Bellarminum, quasi mentem Pelagianorum minus dextrè proponentem. Tandem ad *septimum*, uti potest aliquà ratione & modo defendi, quod scribit, DEUM absolutâ voluntate velle salvare multos, utpotè quod

funda-

fundamentum videtur habere in gratia DEI extraordinaria, de qua aliter planè quam de ordinaria sentiendum est; ita dum addit è contrario, *DEVM absolutè voluntate alios non velle salvare*, contra Iustitiam ejus & bonitatem summam atque infinitam pugnat; ad quam Augustinus semper hoc negotium tractans provocat. Horrendum quoque est, quod Augustinus Juliano tanquam è principis doctrinæ, cui adhærebat confectarium objecit, nullatenus autem, quod Bellarminus vult, adprobavit, *DEVM benevolentiorē omnibus impiissimis & sceleratissimis, hominibus, quam innocentissimis & ab omni labe peccati purissimis esse*. Quod enim exempli loco infantes christianorum sine Baptismo decedentes adducit, præ quibus Paulo persecutori gravissimo, Matthæo infami publicano Magdalena peccatrici (ut vulgò putatur) magnæ, Latroni ob maleficia in crucem acto fuerit benevolentior, hypothesi de infanrum non baptizatorum damnatione inmittitur, de qua quid ex communibus Augustini principis ad analogiam fidei reductis statuendum, capite peculiari supra est indicatum, ut proluxa hic repetitione non sit opus.

pag. 76
& seqq.

Non silentio hic damnanda videatur nova lis inter *Norisum*, Doctorem nuper Patavinum, & ejus Antimachos, qui diversis contra eum scriptis insurrexerunt nominatim verò *Risbrochium* sic dictum, qui circa hanc Quætionem *Norisio* Pelagianismum diversis sex capitibus adscripsit, & quamvis ad Augustini auctoritatem is provocavit, ab ejus sententia illum discedere suscepit demonstrandum. Dogma hoc Pelagianum ex vindiciis Augustinianis ita describit, *CHRISTVM redemptorem non abstulisse omnino privationem gratiæ sufficientis, nec restituisse illud genus auxilii generaliter omnibus hominibus dati in hoc statu naturæ reparatæ*. Quod si verum est, inquit *Risbrochius*, CHRISTUS non redemit totum genus humanum à peccato originali, quia magnam hominum partem reliquit sub privatione auxilii sufficientis, auxilio Adami in statu Innocentiæ proportionaliter respondentis. Verba *Norisii* sequentia exhibet, *In statu naturæ lapsæ non omnibus dari, nec semper præsto esse illud adjutorium, aliàs oratio esset superflua*. Quæ verba, scribit porro *Anti-Norisius*, ultima augent difficultatem, & restringunt auxilium ad solos fideles, qui DEVM cognoscunt, & orare sciunt; quod cum infideles facere nesciant, quia carent fide, omninò destituuntur auxilio.

cap. 7.

Deinde, ita ex hypothese *Norisiana* argumentatur *Risbrochius*, fidelibus non datur ullum sufficiens auxilium, nisi petatur ab iis; unde sequitur, CHRISTUM non liberaliter & gratis per sanguinem suum illud nobis restituisse, sed dependenter ab orationibus nostris, quæ nova certè & periculosa sunt Dogmata. Et quia *Norisius*, ut dixi, provocat ad Augustinum, adfirmantem, *Gratiam ad singulos actus virtutis dari, non tamen omnibus ministrari*; præterea, *neque fidem posse hominem movere ad petendum auxilium Divinum ad hoc*, ut possit implere Præcepta, *nisi DEVS infundat gratiam actualem, quâ moveatur homo ad orandum*, ideò contrarium ex eodem demonstrare satagit *Risbrochius*, hanc consequentiam ex posteriori Dogmate necens: *Hoc accepto sequitur*, parvulos non habere remedium necessarium ad salutem consequendam, cum orare non possint; undè si non sunt orationis capaces, neque remedii compotes erunt. *Ex priori etiam hoc ulterius deducit*: Si manet in nobis illa privatio sufficientis gratiæ ad *Præcepta servanda*, nec est sublata per merita Christi redimentis, *sequitur*, etiam manere ad peccata commissa per Penitentiam delenda; undè nec ad cavenda futura, nec ad remittenda præterita paratum habemus auxilium sufficiens. *Hoc accepto, sequitur Pelagianus error*, imò peior Pelagiano, quia Pelagius, quamvis negaret necessitatem gratiæ ad peccata futura cavenda, non negavit tamen ad peccata jam commissa per Christi sanguinem remittenda, quemadmodum tradit Augustinus in opere de *Naturâ & Gratia*, uti etiam de *Gratia & libero arbitrio*; ex cujus iidem opere de *Prædestinatione Sanctorum* *Norisio* opponit *Risbrochius* exemplum Centurionis, qui etiam ante Baptismum, inquit, inchoatâ quâdam fide imbutus *donabat & ornabat*, ubi prius ponitur *donabat*, quam *orabat*. Igitur ex illâ fide initiali oriebantur *Dona & Eleemosynæ*, independenter ab actuali oratione; atque adeò servabat Centurio præceptum charitatis & Misericordiæ donando. Urgeo, scribit porro *Risbrochius*, locum Augustini, & premo

premo Notum: *Quâ ratione* antecedente impetravit Centurio illam Fidem, per quam didicit donare & orare; nam ante Fidem non agnoverat Deum, quem oraret? *Prius est enim credere, quam orare.* Sic Augustinus ipse ab initio operis Confessionum ad Deum: *Quis Te invocat, nesciens te? quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* *Quæram te, Domine, invocans Te, & invocabo credens in Te, prædicatus es enim nobis.* Tunc appositè: *Invocat te Fides mea, quam dedisti mihi, quam inspirasti mihi, per Humanitatem Filii tui, per Ministerium prædicatoris tui.* Exindè sic iterum argumentatur *Anti-Norisius*: Si ergò Deus donat & inspirat Fidem per Gratiam suam liberalem, *per Humanitatem Christi*, sine ullâ oratione antecedente, quare hominijam credenti non dabit Gratiam necessariam *ad servanda Præcepta* independenter ab oratione? Non sunt hæc tamen Errata graviora, scribit porrò *Risbrochius*. Illud est gravissimum, quod sequitur ex doctrina *Noris*, videlicet, hominem sub Fide constitutum in eo statu similem esse ei, qui est sub lege, & non posse pro tunc adimplere *Præcepta*, quemadmodum nec ille, qui est sub lege; & utriusque eandem esse rationem, unde deducitur, fidelem in eo statu destitui auxilio sufficienti *ad observationem mandatorum*. Alia his subjungit *Norisi* verba *Risbrochius*, ad eundem Pelagianum errorem pertinentia, quibus rejiciendam dixit sententiam statuentium, *Gratiam proximè sufficientem semper adesse, nec unquam obligare legem, nisi adsit Gratia adjuvans*; hæc addita observatione, *Norisi* tenuisse novitatem & asperitatem suæ Doctrinæ, atque ut notam (novitatis) subterfugeret, instar Sepiæ infusò analogiæ atramento tegere se voluisse, & delusis elabi oculis, id est, posuisse terminos *Gratiæ proximè sufficientis & adjuvantis* ambiguos, dum à lege Gratiam excludit, eique negat adnexam, inferuisse verò *auxilium remotum commune*, omnibus etiam infidelibus à Deo datum, ne videatur eo privare aliquos, & ut omnes cum illo possint *aliquo modo* servare Præcepta legis urgentis? Hæc etiam ubi *Norisi* ex Augustino, consentientibus *Fulgentio & Prospero*, confirmare velle ostendit *Risbrochius*, suâ semper insertâ Epicrisi, quam adscribere integram non licet; de eo quoque effugio agit, quo uti posse *Norisi* putat disputantem de necessitate *Gratiæ pro singulis & omnibus momentis & occasionibus*, de quibus Quæstionem esse dicit *Risbrochius*, utrum homo, quoties obligat Præceptum, paratam habeat Gratiam ad observationem illius in statu naturæ reparatæ? Et hæc sunt *momenta & occasiones*, inquit, de quibus loquimur cum omnibus Theologis & Patribus, & Augustino, non deesse homini auxilium *Gratiæ sufficientis, sine quo nequit observari præceptum*; secus enim vel non peccabit auxilio carens necessario, vel peccabit in eo, quod vitare non potest. Utrumque est Augustini, inquit *Risbrochius*, qui de primo docet in libro *de Correctione & Gratia*, ne Adamum quidem & Angelos sine auxilio *Gratiæ* mereri aut demereri potuisse; de posteriori autem in opere *de libero arbitrio*, neminem peccare in eo, quod cavere vitareque non potest, eaque illius constans est doctrina, quam ab eodem quoque tradi dicit in opere contra Julianum. Ut autem ostendat etiam errandi occasionem *Norisi* præbitam, eam putat esse frequentem *necessitatis Gratiæ* mentionem in Augustino, & argumentum contra Pelagianos peti-
cap. II.
I. III. c. 17.
& 18.
tum *ex oratione*, ad probandum, Gratiam esse necessariam, nec esse ex Meritis. Hoc quod est verissimum, inquit *Risbrochius*, arripienti Notis persuasit sibi, Augustinum voluisse, *ut omne auxilium Gratiæ esset effectus orationis nostræ, ita ut nullum nobis concedatur auxilium, nisi per orationes actuales*, & contendit, necessarium semper esse, præmittere orationem ante impetrationem *Gratiæ*, ut hac ratione adpareat, falsum esse Dogma Pelagianum; *quasi illud aliter refutari non possit*. Et hanc esse putavit Augustini mentem, in quo nos ab eo discrepamus, & omnes Catholici debent discrepare.

Nam ut Augustinus refelleret Pelagii hæresim, satis erat probare, *principium & facultatem bene operandi & nitendi ad salutem non esse in natura*, quandoquidem à Deo petebatur ultra naturam, qualis erat Gratia; quæ dum petebatur, tanquam necessaria naturæ, adparebat, non inesse naturæ, nec intra illius vires contineri. Ad hoc autem satis erat monstrare, *Gratiam peti & impetrari sæpè à Deo ac communiter*, non verò ut omnes & singulæ *Gratiæ* peterentur à Deo. Hoc ubi pluribus deduxit *Risbrochius*, variis etiam Augustini testimoniis usus, ut inconsequentiam consequentiæ *Norisi* ostenderet, ad absurdum quoque cum adigere laboravit, inde sequi putans, non præstari Gratiam iis, qui non petunt, nec cogitant de petendo;

Oooo

tendo;

tendo; cum certissimum sit, *Deum non cogitantes excitare, aliud agentes movere, averfos convertere, resistentes vincere, reluctantes trahere, & obstinatos interdum impellere ad bonum.* Ipsemet Augustinus, inquit, testis sit, & Exemplo, & scriptis. Quoties vocatus etiam restitit Deo per Matris lacrymas, per Ambrosii verba vocanti, donec, cum minus fortasse cogitavit de eo, se Deo devovit. Audiamus eum ex opere *de libero arbitrio*, ubi ponit, *Deum multis modis operari salutem nostram*, & disertè ait, *Eum averfos vocare*, distinctè ab eo, qui deprecatur, cum

Lib. I. c. 19.

postea dicat, *quod exaudiat deprecantem.* Ita in opere contra duas Pelagianorum Epistolas scribit. *Quàm multi quotidie inimici Christi subito occulta (quadam) Gratia trahuntur ad Christum; idque probat exemplo Pauli, quando spirans eadem pergebat ad mactandos horrenda Mentis cœcitate & furore Christianos.* Plura ibi habet *Risbrochius* ex Augustino, additis pluribus aliis, per quæ *Norissium* erroris convincere satagit intolerandi, quæ omnia si ad lancem *Veritatis Evangelico Augustiniane* adpendantur, Romanos intra & extra muros in hoc Fidei capite peccari observabitur; & uti aliàs mulus scabere solet mulum, ita hi fratres cadmæi mutuis tantùm non planè se vulneribus conficiunt, dum alter alteri impingit errores, neuter à crimine liber. Accusavit *Norissius* in Vindiciis Augustinianis inter alios Cardinalem *Toletum*, quod Commentario in Epistolam Pauli ad Romanos, ab *Augustini sententia de Prædestinatione recedens, ad Semipelagianos miserè declinaverit.* Et quia non ita pridem *Ludovicus* quidam *Domus*, Episcopus Eduensis in *Historia Cardinalium*, laboravit, *Sadoletum* liberare ab hac accusatione, provocavit ad coactoneum *Sadoletum* Cardinalem *Contarenum*, à quo reprehensus fuerit per literas ob id ipsum *Sadoletus*, quod non satis pro dignitate de Augustini sententia locutus sit, *Sadoletus* id agnoscente, & de semetipso sic scribente, *se in sententia de libero arbitrio non omnino adfentiri Augustino, utpote qui libertatem voluntati nostræ auferat perspicuè, dumque Dei Gloriam maxime velit complecti, videri ipsum ei potius aliquid derogare, quàm quod videatur tribuere, hoc etiam addicte, Augustinum, in extremam & remotissimam sententiam, contentione disputandi magis, quàm considerata & quieta ratione adductum.* Hæc accusatio *Toleti* Cardinalis adco graviter habebit

p. 149. & seqq.

Prodr. Velit. p. 161. & seqq.

Norissii Antimachos, *Neuserum* inprimis & *Risbrochium*, ut ille quidem concoquere non potuerit, hominem Purpuratum, Romanis Pontificibus charum, ac præcipuis illo tempore, quo vixit, sacre (rectius, facerrimæ) Purpuræ lumibus, quorum nomina prolixo ordine ad pompam recententur, & omnibus ferè illius temporis hominibus literatis arctissimo conjunctum vinculo, & quæ alia ad singulare Elogium pertinere videbantur, *Semipelagianum* fuisse, cum libri ejus ab omnibus viris doctis fuerint publicè adprobati, ac nominatim in Commentario ad hanc Epistolam Pauli cum latere errorem, quem alii, & quidem *Reginaldus Polus*, cum *Marcello Cervino*, quibus sine dubio liber fuit in manibus, non observarint & censurâ perstrinxerint, quod tamen à *Contareno* factum potest sufficere, hoc addito, *Indicem Librorum prohibitorum* in Hispania editum in eodem *Sadoleti* opere alium corrigi jussisse errorem, quo *Christum, qua homo est, Dei filium esse adoptivum* non semel ibi scripsisse dicitur, quod in gratiam *Norissii* contra *Neuserum* nunc quidem satis esse videtur; hic autem, *Risbrochius* videlicet, præterquam, quod *Toletum*, breviter quidem vindicare ab hoc errore Semipelagianismi in *Anti-Norissio* studuit, insuper ex jure Talionis, & quidem cum aliquo usu & factu, ut loqui solent hodie, ei non *Semipelagianismum*, sed, ut cum scenore recipiat accusationem institutam contra *Toletum*, ex Ecclesiæ cardinibus antecedente seculo non postremum, ipsum *Pelagianismum* diversis sex capitibus prolixissime adscripsit, injuriam facerrimæ inlatam Purpuræ hoc etiam modo largiter se ultum esse existimans. Ego post historicam hujus utriusque certaminis recensionem ex amplissimis Disputationibus breviter excerptam, ne lectoris gratia abuti, aut ejus judicio hic etiam videar diffidere, nihil amplius addo, quàm, quod in *Adpendicibus* hinc indè insertis non semel hactenus fuit observatum, ex ante dictis constare, quinam radii pertineant ad confirmationem *Veritatis*

p. 341. & seqq.

Evangelico Augustiniane, utpote quales hic etiam licet observare, & quomodo dissipari queant nebulæ errorum, quæ maculas in Sole nostris præbent oculis.

CAPUT NONUM & seqq.

De

Ratione Prædestinationis ex parte nostrâ.

Hanc Controversiam Bellarminus non tam contra Evangelicos, quam alios quosdam Doctores Scholasticos tractat prolixissimè, ubi quamvis ritè à ratione Prædestinationis non solum ad Gratiâ, sed etiam ad Gloriam excludit merita hominis, id tamen facit partim contra hypothèses proprias, partim hic & ibi ea inferit de Gratiâ efficaci electis particulari, & quatenus à sufficienti distinguitur, quæ omnino meretur examen, præprimis, quia Augustinum ad suas trahere nititur partes, cujus autoritate etiam contrariæ opinionis fautores ut plurimum utuntur, nobis non sine causa de eo sollicitis, quæ propria mens fuerit Doctoris augusti, quem hæcenus perpetuum & constantem vidimus Evangelicæ Veritatis testem & Confessorem, habiturum eum quoque in sequentibus paucis, quæ adhuc restant, controversiæ Fidei capitibus. Ut hic etiam Bellarmini premamus vestigia, format is sequentem ordine & numero octavam propositionem: *Quamvis Gratiâ sufficiens detur omnibus, tamen Divina Prædestinationis nulla ratio ex parte nostri potest assignari.* Dicit, addere se, ex parte nostri, quoniam ex parte Dei possit assignari causa in genere, ut ostendatur Misericordia & Justitia ejus, in particulari quoque dubitari non possit, quin Deo non desit sua ratio, cur istum potius, quam illum voluerit prædestinare ad vitam, quamvis ea sit nobis occulta, Augustino id confirmante, dum scripsit, *Eorum non miseretur, quibus gratiam non esse præbendam equitate occultissima & ab humanis sensibus remotissima judicat, quam non aperit, sed admiratur Apostolus, dicens, O altitudo divinitarum &c.* Et alibi, *Cur illum potius, quam istum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, judiciorum ejus profundum tam magnum, tamen caveat præcipitum.* Addit, idem Augustinus tamen alibi iterum affirmat, *in æterna Beatitudine manifestum nobis futurum, cur ille potius, quam iste fuerit adsumtus, cum una ambobus esset causa; & cur apud quosdam non factæ sint virtutes, quæ si fuissent factæ, egissent illi penitentiam, & factæ sint apud eos, qui non fuerant credituri.* Post ex Augustino hanc Prædestinationis proponit Definitionem, quod sit *Præscientia & præparatio Beneficiorum DEI, quibus certissime liberentur, quicumque liberentur.* Existimat autem, posse paulò plenius ex ejusdem Doctrinâ ita definiti, quod sit *Providentia DEI, qua certi homines ex massa perditionis misericorditer selecti per infallibilia media in vitam dirigantur æternam.*

In explicatione monet, etiam si Angeli quoque dicantur ab Augustino prædestinati, aliam tamen esse rationem prædestinationis Angelorum, aliam verò hominum. Porro, prædestinationem ex ejusdem sententia & scripturarum divinarum sententia non præcessisse, sed sequutam esse prævisionem originalis peccati, ob quod unversum genus humanum quasi massa quadam damnata factum sit. Quod autem scribat alicubi Augustinus, si non peccasset Adamus, homines non fuisse nascituros, nisi ad certum usque numerum prædestinatorum; significare quidem, futuram fuisse prædestinationem, etiam si Adam non peccasset, si nimirum prævidisset DEUS hominem non peccaturum, absolute tamen prædestinationem, qualis nunc est, peccati prævisionem sequi. Concludit, ex hac Definitione sic explicata perspicuam esse Definitionem Augustini, significantis, *prædestinare nihil aliud esse, nisi præscire, quibus mediis infallibiliter certi homines possint salvari, & efficaciter velle ea præparare media.* Incidenter, ubi meminit Controversiæ inter Scholasticos agitatae, *utrum Prædestinatio magis ad Intelligentiam, quam voluntatem pertineat*, sibi que dicit placere sententiam Thomæ & Cajetani, ad illam potius, quam ad hanc referentiam, rationem ab Augustini autoritate subjungit, ita scribentis, *In sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia disponere opera sua futura, id omnino, nec aliud quidquam est, nisi prædestinare.* Eandem addit esse sententiam Authoris Hypognostici, qui

lib. 6.

qui prædestinare nihil aliud esse dicat, nisi providere & præordinare. Et ne quid videatur prætermisisse ad explicationem sententiæ, quam suscepit defendendam, subjungit ordinem Prædestinationis Divinæ in Mente Divinâ sequentem, *Primum*, inquit, prævidit Deus, si conderet hominem, lapsurum eum cum omni posteritate, & simul vidit, posse se variis modis liberare vel omnes, vel aliquos pro arbitratu suo.

Deinde, voluit hominem condere, ac, ut liberetur, permittere, & quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massâ perditionis justè relictis. *Tertio*, excogitavit remedia salvandis electis idonea, in quibus primum habuit locum Incarnatio & Passio Salvatoris. *Quarto*, adprobavit ea remedia, & tunc elegit Christum & nos in ipso ante Mundi constitutionem. *Quinto*, disposuit, ordinavit, & quodammodo imperavit, ut ita fieret. Statu Quæstionis controversæ ita proposito & explicato ad ejus demonstrationem progreditur, & post autoritatem scripturæ, inter cæteros Ecclesiæ Doctores, præprimis Augustinum adducit, tanquam sibi per omnia consentientem, hac cum observatione, quamvis ante exortam hæresim Pelagianam Patres istam quæstionem non adeò tractaverint accuratè, sed tantum occasione oblata suam breviter sententiam aperuerint; tamen post illam hæresim exortam omnes omnino, qui sanctitatis nomine claruerint in Ecclesiâ, apertissimè hanc ipsam docuisse sententiam, neque solum sanctos Patres istos hoc adfirmasse, sed antiquiores ex ipsis & doctiores, quos cæteri postea sint sequuti, tradidisse, hanc sententiam pertinere ad Fidem Catholicam, & contrariam rejecisse ad Pelagianos. *Augustini* nominatim commendat sequentia, *Hoc scio, neminem contra istam Prædestinationem, quam secundum scripturam sacram defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Et ibidem, *Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hereticos novâ sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesiâ Christi non habuit.* Post aliorum testimonia scribit accedere publicam Ecclesiæ adprobationem, quam sequentibus explicat: *Constat*, delatam fuisse ad Apostolicam Sedem Cælestino Pontifice à *Prospero & Hilario* querimoniam, quod in Gallia Presbyteri quidam Augustini de prædestinatione doctrinam reprehenderent. Quid autem Cælestinus rescripserit, perspicuum est ex Epistola ejus ad Gallos, in qua inter cætera, postquam magnis laudibus extulit Augustinum, ita subjunxit: *Vnde resistatur talibus, quos male videmus crescere. Nefas est hæc pati religiosas animas, quarum adfectione, quia sunt membra nostra, nos quoque convenit macerari.* Et quoniam Galli respondebant, fuisse quidem à Pontifice commendatam Augustini doctrinam, sed non adprobatos in specie libros de *Prædestinatione Sanctorum & Bono Perseverantia*; contra Prosperum in libri contra Collatorem extremo demonstrat, Pontificem non potuisse hos libros non adprobare, cum Augustini doctrinam probaverit, & hi à cæteris non dissentiant, quia sententia de prædestinatione gratuita, quæ in illis defenditur accuratè, verbis habetur disertis in *Enchiridio ad Laurentium*, item Epistolis post centesimam quinta ad *Sixtum*, & sexta ad *Paulinum*. Deinde, Cælestinus in eadem Epistola ita laudat Augustinum, ut dicat, *Eum semper habitum ab Ecclesiâ Romana pro optimo Magistro, & nunquam fuisse, saltem rumore suspicionis sinistrae adpersum.* At, pergit Bellarminus, quomodo dicere ista potuisset Cælestinus, si Augustinus falsò scripsisset, fidem prædestinationis in Ecclesiâ Catholica semper fuisse, & neminem contra eam disputare nisi errando potuisse.

Nam si Augustini sententia de prædestinatione esset falsâ, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi, quippè qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam pro Fide Catholica eam ausus esset vendicare. Quomodo igitur Cælestinus eos, qui pro hac ipsa re Augustinum temeritatis & erroris damnabant, ita reprehendit, ut dicat, *nefas esse talia audire, & Augustinum pro Magistro optimo semper habitum, nec unquam fuisse saltem rumore suspicionis sinistrae adpersum*, nisi hanc ipsam de prædestinatione doctrinam, secundum Augustini sententiam, esse credidisset veram? Post illa Cælestini tempora, cum nondum factio illa Gallorum quiesceret, Leo Pontifex misit ad Concilium *Arausicanum* certa quædam Capitula de Gratia & libero Arbitrio ex Augustini libris verbatim excerpta, quæ voluit ab illis Episcopis recipi & subscribi, uti etiam factum est. Porro in illis Capi-

de Bono
Perf. c. 18.
& 23.

Capitulis omnia continentur fundamenta sententiæ de Prædestinatione gratuita, ut non possit ullus Prædestinationem negare, nisi velit illis contraire Capitulis. Denique Gelasius in Concilio septuaginta Episcoporum non solum omnia Augustini & Prosperi scripta adprobavit, sed etiam e contra damnavit libellos Iohannis Cassiani & Fausti Regiensis, cum tamen non ignoraret, potissimam contentionem inter Prosperum & Cassianum, ac deinde inter Fulgentium & Faustum fuisse de scriptis Augustini de Prædestinatione Sanctorum & Bono Perseverantiæ. Itaque Sedes Apostolica, ex more suo & complicitum ita scribit Bellarminus, non semel tantum, sed etiam secundo & tertio adversus Pelagianorum reliquias pro defensoribus Gratia & Prædestinationis tulit sententiam, ut jam sententia hæc non quamvis Doctorum opinio, sed Fides Ecclesie Catholice dici debeat.

Hoc ipsum uti Bellarminus prolixissime rationibus e scripturâ & traditione de promptis evincere conatur, ita hic ea tantum excerpentur, quæ Augustini respiciunt auctoritatem. Primam dicit hanc esse rationem, *quia sine Fide nemo potest salvari*, juxta Christi verba, *Qui non crediderit, condemnabitur*. Fides autem inquit, DEI donum est, quod non omnibus datur, sed iis tantum, quibus eam DEUS voluerit donare, juxta Pauli ad Philippenses verba, *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in illum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*. Igitur illi soli salvantur, subsumit Bellarminus, quos DEUS gratis salvari decrevit. Præcivit verò Deus ante constitutionem Mundi, quibus salutem gratis esset daturus, & hoc ipsum ab ipsa æternitate decrevit & præordinavit, cum Dei scientia & propositum sint æterna & immutabilia. Concludit, igitur vera est Augustini sententia de gratuita Præscientia & Prædestinatione Divinâ. In analysi duplicis responsi ad hanc rationem primam nulla fit Augustini mentio, nisi quod incidenter monet Bellarminus, Meritum adpellare Patres in hac Quæstione quodlibet opus bonum, ratione cujus Gratia vel Auxilium detur homini, uti patere existimat ex Augustino, cujus observationis usus erit suo tempore. Secundam rationem ducit à Dono Perseverantiæ, quia & sine eâ nemo potest salvari. Ad hujus confirmationem post alia hoc utitur S. Johannis Apostoli testimonio, *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Id Augustinum sequentibus verbis edisserere ait, *Quid est, quæso, non erant ex nobis? Nonne utrique à DEO creati, utrique ex Adamo nati, utrique de terrâ facti erant, & ab eo, qui dixit, omnem flatum ego feci, unius ejusdemque naturæ animas acceperant? Nonne postremò utrique fuerant vocati, & vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, & utrique per Lavacrum Regenerationis renovati? Sed si hæc audiret ille, qui sciebat procul dubio, quod dicebat, posset respondere & dicere, vera sunt hæc, secundum hæc omnia erant ex nobis, veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quenam est ista discretio? Non erant ex nobis, quia non erant in Christo electi ante constitutionem Mundi*. Non contentus autem hac Augustiniana explicatione, aliam ex Eodem objicit Bellarminus, nimirum ex tertio in Epistolam Johannis Tractatu desumptam, per quam verba Apostoli, *non erant ex nobis*, existimat intelligi posse de simulatione Fidei, ut sensus sit, *videbantur exterioribus signis Christiani atque catholici, sed jam erant præcisi à nobis corde*; & respondet Bellarminus, utrumque verum esse & optime inter se coherere. Nam qui non sunt prædestinati, inquit, & per hoc in Prædestinatione discreti ab aliis, qui sunt in Ecclesia electi & prædestinati, sæpè etiam prius corde præciduntur, quam corpore, & verum est, illos non esse ex nobis, etiam cum videntur esse ex nobis, tum quia non sunt ex numero electorum, tum etiam quia sunt à nobis jam corde præcisi.

His Bellarminus duas addit rationes, quas vocat *solidissimas*, quarum unam sumi dicit ab orationibus, quas assidue jubemur fundere pro Dono Perseverantiæ, confirmans eam sequentibus Augustini verbis, *Restat in his bonis usque in finem Perseverantia, que frustra quotidie petitur à Domino, si non eam Dominus per Gratiâ suam in illo, cujus exaudit orationes, operatur*. Alteram sumit à termino ac

periodo Vitæ humanæ, quæ non ab alio, quàm ab ipso hominum Conditorè statuatur, Augustini iterùm autoritate in subsidium advocata, scribentis, *Videte, quàm sit à veritate alienum, negare, donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic, quando voluerit ipse, det finem, quem si dat ante lapsum imminuentem, facit hominem perseverare usque in finem.* Tertiam rationem pro

Prædestinatione gratuitâ deducit Bellarminus à parvulorum diversitate, quorum aliqui statim rapiantur à Baptismo, alii paulò ante Baptismum, priores ad gloriam prædestinatorum, posteriores ad pœnam reproborum, quod indubium putat esse Bellarminus, cum nec ulla prævisa merita, ullusve bonus liberi arbitrii aut Gratiæ usus fingi possit. *Addit, facere hoc argumentum adhuc multò firmitus & solidius adparere vanas responsiones, quas nonnulli tandem magno labore repererint, Augustino sequentem in modum scribente, Mirum est, cum his coarctantur angustiis, in quanta se precipitent abrupta, metuentes retia veritatis.* Videlicet, olim respondisse quosdam, prædestinatos esse parvulos secundum opera, quæ Deus eos fuisse facturos præviderat, si diutius illis vivere contigisset. Sed hanc responsionem

de Prædest. refellere dicit Augustinum ex eo, quod Apostolus definiat, *omnes homines* Sanct. c. 12. *judicandos à CHRISTO secundum propria corporis*, id est, prout in hac vita corporali se gesserunt; item ex eo, quod parum profuisset cuidam rapi

11. Cor. 5. *antequam malitia immutaret intellectum ejus*, & contra multum profuisset Tyriis & Sidoniis, credituris, si CHRISTI signa vidissent, si judicandi sumus secundum opera, quæ facturi eramus. Alios igitur respondere, aliam esse rationem parvulorum, aliam verò adultorum; quoniam adulti, si non salvantur, pereunt in æternum, parvuli, si non salvantur, non pereunt tamen, sed extra Regnum Cælorum habebunt suam quandam vitam æternam & beatam. Sed Augustinum docere, hanc solutionem incidere in hæresin Pelagianam.

de Bono Quartam rationem sumit Bellarminus ab exemplo CHRISTI, qui ca-
put sit & princeps omnium electorum, de quo Paulus scripserit, *quod præ-* Perf. c. 11. *destinatus sit Filius DEI in virtute*, id est, omninò gratis, non propter aliqua
& 12. opera prævisa, &c. *Subsumit*, ut igitur CHRISTUS ipse gratis omninò
Rom. 11. prædestinatus est, ita CHRISTI membra gratis sunt prædestinata; prædesti-
namur enim, *ut conformes efficiamur imagini Filii DEI.* *Addit*, hanc rati-
Rom. 8. onem eleganter tractatam esse ab Augustino in operibus diversis, vi-
delicet, de *Prædestinatione Sanctorum, Bono Perseverantia, Correctione & Gratia.*

Quia verò inter domesticos suæ Fidei & Religionis habuit Bellarminus huic opinioni de gratuita Prædestinatione adversarios, idè nihil prætermisum voluit, quod ad omnimodam illius confirmationem videbatur pertinere, objectiones eorum solvere conatus. Inter eas autem, quas è testimoniis scripturæ adtulit, tertia ex Apocalypsi Johannæ desumitur, verbisque sequentibus constat: *Tene, quod habes, ne alius tuam accipiat coronam.* Indè sequens

cap. 3. videtur formari posse subsumtio, si Corona potest amitti per opera mala, non prædestinavit DEUS ullum ad Coronam, nisi operibus ejus prævisis, &c. Sed Augustinum rectissimè scribit Bellarminus monere, *Coronam Gloria electis præparatam ante constitutionem Mundi non amitti posse, tamen ut non amittatur.* Deum variis efficere modis, quorum unus sit timor & terror, quibus sollicitudo ac
de Cor- vigilantiâ excitetur. Circa autoritatem Patrum pro opinione contraria ob-
rept. & servat Bellarminus in genere ex Prospero, Gallos, qui sententiam Augu-
Grat. c. 13. stini calumniabantur, illud potissimum solitos objicere, quod ea Veterum doctrinæ videretur esse contraria; sed Augustinum respondere, Patres, qui floruerunt ante Pelagium, istam Quæstionem accuratè nunquam tractasse, sed incidenter solum & per transitum quasi attigisse illam, addere autem, in fundamento sententiæ, quod sit, Gratiæ DEI non præveni-ri ab ullo opere nostro, sed contrà, ab illà præveni-ri omnia nostra opera, ita ut nihil omninò boni, quod adinet salutem, in nobis sit, quod non sit ex Deo, omnes con-

convenire Catholicos nominetenus, *Cyprianum, Ambrosium, Nazianzenum*, quibus *Basilium & Chrysostomum* addit Bellarminus subjungens, ex his aliisque similibus Patrum sententiis rectè Augustinum colligere, Prædestinationis gratiæ sententiam & Fidem semper in Catholica fuisse Ecclesia.

In specie, post examen testimoniorum ex aliis Patribus objectorum dicit, adduci etiam solere duo Augustini loca, unum ex libro de *Prædestinatione & Gratia*, ubi videatur Augustinus discretionem justorum ab injustis referre in liberam eorum voluntatem tanquam in causam ultimam; alterum ex libro *Quæstionum octoginta & trium*, ubi sequentia leguntur: *Cui vult miseretur, & quem vult indurat.* ^{cap. 15.}
Sed hæc DEI voluntas injusta esse non potest. venit enim de meritis occultissimis; quia ^{Quæst. 68.}
& ipsi peccatores sunt, cum propter peccatum generale unam fecerint massam. Tamen non ideo nulla inter eos est diversitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamvis nondum sint justificati, digni efficiantur Justificatione, & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione. Ad priorem locum respondet Bellarminus, librum de *Prædestinatione & Gratia* non judicari opus Augustini ab hominibus doctis, cum ejus nulla fiat mentio in *Retractionibus*, neque in *Possidii* Indiculo. Sed addit, quisquis fuerit illius libelli author, non videtur meo quidem judicio à sententia Augustini dissentire. Nam, ut aliam multa omittam loca, sic loquitur in sequentibus: *Hanc electionem Divinam non meritis reddi, sed sola voluntatis munificencia* ^{cap. 16.}
hominibus donari, Moses, cum jam tunc, quamvis carnalem populum doceret, offendit, &c. In loco igitur nobis objecto refert quidem Author ille discretionem justis ab impio in hominum voluntates, sed mox adjungit, ultimam resolutionem fieri in voluntatem Dei, qui unum misericorditer adjuverit, alterum justè deseruerit. Ad alterum monet existimare *Lombardum*, Augustinum retractasse hunc locum, cum alia retractaverit similia. Sed non est opus, inquit Bellarminus, ad asyllum retractionis confugere. Non enim eo in loco disserit Augustinus de Prædestinatione, quæ nullam habet causam ex parte hominum, sed de obduratione & justificatione, quæ ^{lib. 4. distinct. 41.}
*lib. 4. distinct. 41.
habent causas ex parte hominum, quamvis sæpè, ut ipse dicit Augustinus, secretissimas. Obdurat enim Deus homines propter peccata, & justificat propter merita; sic enim vocat hoc in loco & alibi passim dispositiones ad Justificationem, quæ tamen merita non sunt in illis, nisi ex Gratia, uti loquitur, scribens, *Gratia mereatur augeri, ut aucta mereatur & perfici.**

Succedunt argumenta ex rationibus, quibus à Bellarmini opinione dissentientes ad demonstrandam Prædestinationis gratuita nullitatem solent uti, adque eas respondere Bellarminus laborat, inter quas primum occupat locum sequens: *Electio prærequirit disparitatem in iis, qui sunt eligendi.* Unusquisque enim, qui in eligendo non errat, id eligit, quod melius est. Non igitur electio salvandorum facta est sine aliqua operum aut dispositionis ex parte nostri prævisione. Confirmatur argumentum ex Augustino sic scribente: *Item eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur.* ^{Epist. 106. ad Paul.}
Vnde, quod dictum est, quia elegit nos ante constitutionem Mundi, non video, quomodo sit dictum, nisi Præscientia. Bellarminus respondet, Propter hoc argumentum non defuerunt, qui distinguerent Prædestinationem ab Electione, ac dicerent, Prædestinationem esse priorem Electione, & Prædestinatione quidem præparari certis hominibus infallibilia ad salutem media, electione verò præparari Gloriam; denique, Prædestinationem esse planè gratuitam, Electionem verò pendere à bonorum operum prævisione. *Addit*, horum sententia non est ullo modo Pelagianorum aut Cassiani & Faustii errori adfinis, & videtur aliquando ipsius etiam Augustini fuisse, nam ibidem sic ait, *Non quia Deus invenit opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum Justificationis ipsius, sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad Regnum Cælorum.* ^{lib. 1. ad Simpl. Quæst. 2.}

Veruntamen, ita porro scribit Bellarminus, est hæc opinio parum congruens cum scripturis, & libris Augustini posterioribus, & ipsa ratione. De Augustino hoc observat, eum adhuc juvenem fuisse, cum libros ad *Simplicianum* scripserit, atque multa invenisse in hac quæstione difficillima, quæ postea majori diligentia investigavit & repererit.

- Rom. 9. Itaque, inquit, cum incidisset in illa Pauli verba, *ut secundum electionem DEI propositum maneret*, & non posset intelligere, quomodo DEUS eligeret, si nulla disparitas esset in rebus eligendis, suspicatus est, mutandam esse interpunctionem, & Apostolum non velle, *ut secundum electionem DEI propositum maneret*, ideo non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, Major serviet minori, sed velle, Jacobum & Esavum nil boni aut mali egisse, *ut inde secundum electionem DEI propositum maneret*. Ex quâ mutatione interpunctionis colligit, *non propositum DEI secundum electionem manere, sed contra, electionem manere secundum DEI propositum*. Sed intellexit postea, hanc Expositionem esse violentam & extortam, & non fuisse necessarium redigi ad has angustias, cum potuisset dici, DEUM diligendo vel eligendo facere disparitatem, sic enim ait alibi, *Qui sunt isti, qui respondent DEO, quandoquidem ille Rebecca habente geminos ex uno concubitu nostri Patris Isaaci, cum illi nondum nati nil egissent boni vel mali, ut secundum electionem eius propositum maneret, electionem scilicet Gratia, non debiti; electionem, qua eligendos facit ipse, non invenit, non ex operibus, sed ex vocante, &c.*
- Epist. 105. ad Sixt. Et, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum esse intelligatur*, ut secundum electionem DEI propositum maneret, *non meritum hominis anteiret; non enim dicit electionem voluntatis humane sive nature, cum par esset in utroque mortis damnationisque conditio, sed electionem procul dubio Gratia, que non invenit eligendos, sed facit*. De ea & in sequentibus Epistolæ hujus loquens ait, *Sic ergo & in hoc tempore reliqua per electionem Gratia facta sunt salva*. Bellarminus hanc subjungit criticism, vides, quam aliter sapiat Augustinus senex, quam juvenis; nam senex scripsit ad Sixtum & Paulinum, juvenis ad Simplicianum. Idem in libro de Correctione & Gratia iterum exponit, *ut secundum electionem DEI propositum maneret*, ideo non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, Major serviet minori. Idem loquens de ipsa electione, quæ non ex operibus est, sed ex vocante, ait, *Electi sunt ad regnandum cum CHRISTO*. Et infra inquit, *De his loquor, qui prædestinati sunt in Regnum DEI*. Et in opere de Civitate DEI scribit, *Quid dabit eis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit eis, quos prædestinavit ad mortem?* Et infra, 122. c. 24. *Vnde Apostolus de ipsis in Regnum illud prædestinatis loquens, &c.* Ubi Prædestinationem, quam ubique prædicat merè gratuitam, non solum dicit esse ad Gratiam, sed etiam ad vitam & Regnum. In responsione ad cæteras rationes nulla fit Augustini mentio, præter quam ad quintam, quæ penultima est, & ita habet: *Si DEUS absque operum nostrorum prævisione, prædestinaret, sine dubio aut omnes, aut majorem hominum partem prædestinaret ad vitam, cum sit bonus natura, & ejus misericordia sit super omnia ejus opera*. At pauci sunt, qui salvantur, ut ex Evangelio colligitur. Igitur non prædestinat DEUS, nisi secundum prævisionem operum, sive boni aut mali usus arbitrii liberi. Bellarminus respondet, hoc argumentum fortassis aliquid concluderet, si Prædestinatio non præsupponeret originale peccatum. Nam in Angelis ita factum videmus, ut major pars ad vitam fuerit prædestinata. Cæterum, cum universum genus humanum per primi hominis peccatum incurrisset damnationem justissimam, magna est DEI misericordia, quod multis indebitam voluerit donare Gratiam. Cur autem DEUS, cum posset etiam post peccatum omnes liberare, minorem eorum partem decreverit liberandam, rationem esse dicit Augustinus, *ut intelligeremus, quid omnibus deberetur*.

Atque hætenus de Quæstione hac sublimi & maximi per omnia momenti Bellarminus, lectori volens persuasum, quam defendit sententiam non solum esse verissimam & Catholicæ propriam Ecclesiæ, sed etiam, quod præsentis est Instituti, autoritate Augustini firmam & confirmatam, ita ut nihil in eâ possit omnino desiderari. Sed quamvis disimularit Bellarminus opinionis contrariæ Defensores, ne videlicet illorum nomina aliquam post se trahant probabilitatem, aliunde tamen factis constant, & novissimè post alios numero non parco indicavit Franciscus Macedo Augustinianus in Collationibus Doctrinæ Scoti & Thomæ, inter antiquiores (antiquos enim Ecclesiæ Patres Augustino solum excepto non attendit ille scriptor) recensens Henricum Quodlibetarium, Johannem Baconum, Thomam Argentinensem, Guilielmum Rubionensem, Aureolum; inter recentiores autem Eckium, Pighium, Stapletonum, Medinam, Senen-

Senensem, Franciscum Turrianum, Molinam, Valentiam, Vasquezium, Lessium, Continchium, Monacum, Perottum, Amicum, Sparzam, & Scotistis Pontium, Faventinum, Saxium &c. qui omnes & alii plures contra propriam Ecclesie doctrinam scripsisse dicendi sunt, si iudicio Bellarmini standum erit. Num vero Augustinus à Bellarmino ad testimonium Prædestinationi gratuita, eo nimirum sensu, quem Bellarminus exhibet, ferendum ritè sit adductus, paulò post patebit, ubi prius erit indicatum, quid in sententia hac Bellarmini jure possit meritoque desiderari. Ipsa statim Propositio, quam fundamenti loco toti huic tractationi substernit, etsi possit ab Evangelicis sano admitti sensu, prout tamen Bellarminus eam voluit intellectam, id continet vel potius excludit, quod minimè oportuit factum. Ea sic habet, *Quamvis Gratia sufficiens detur omnibus, tamen Divina Prædestinationis nulla ratio ex parte nostri potest assignari.* Antecedens posset habere locum, si in subiecto per Gratiâ sufficientem intelligeret efficacem, in prædicato autem per omnes intelligeret non electos solum, sed omnes in universum vocatos, quibus per universalem & gratuitam ex omni parte vocationem intercedente Verbo & Regenerationis Sacramento donum Fidei non qualislibet, sed justis & salvificis offertur, utut à paucissimis acceptatur vel acceptum usque ad finem Vitæ custoditur. Ita consequens etiam ab Evangelicis non repudiatur, si meritis operum sit opposita tantum, & non simul quoque Fides excludatur, quam, etsi non respectu meriti alicujus, tamen medii ab ipsomet Deo ex Voluntatis liberrimæ beneplacito ordinati & hinc ordinarii, huic actui Prædestinationis æternæ includi debere, contra Bellarminum ex Augustino Veritatis Evangelicæ hic etiam Teste & Confessore demonstrabitur paulò post.

Nunc ea inter paucis porrò perstringenda sunt, quæ in explicatione Propositionis dictæ Bellarminus contra Fidei analogiam non parce hic & ibi inspergit, ne videlicet Augustinus ulla ratione suspectus maneat de orthodoxia minus sincerè proposita. Nimirum, vix sanum admittit sensum, quando statuit, quod Prædestinationi ex parte DEI in genere hæc possit assignari causa, *ut ostendatur Misericordia & Iustitia ejus, nisi per Iustitiam intelligatur Veritas promissionis in Verbo factæ, ut, qui credit in Christum, non pereat, sed vitam habeat æternam; sicuti è contrario causa, cur istum potius, quam illum voluerit prædestinare ad vitam, nobis non sit occulta, prout Bellarminus scribit, sed aperta satis & manifestè revelata, infidelitas scilicet atque repudium Christi Merito missum, quod solum sufficit ad reprobationem, uti sequens docebit Controversia.* Augustinus quoque, ubi ad *occultissimam & à sensibus humanis remotissimam* provocat rationem, non agit, quod supra fuit ostensum, de negotio Prædestinationis, neque de ordinaria Conversionis methodo, sed de casibus extraordinariis & ut ita dicam reservatis, quos Deus liberrimo Voluntatis suæ nutui in solidum reservavit, non planè nihil etiam de eo nobis in Verbo revelans, pleniori tamen manifestatione in statu æternæ Beatitudinis secuturâ. Definitio Prædestinationis, quam verbis Augustini, & ex ejus doctrina paulò pleniorè proponit Bellarminus, si pro qualicumque ejusdem descriptione sit agnoscenda, facile potest admitti, modò ne adverbium *cerrissime* ad Gratiâ irresistibilem, *infallibilia* autem media ad ea, quæ electis tantum sunt vel dicuntur propria, ab eo trahantur, quorum utrumque ex hypothesebus supra examinatis videtur fluere. Quod Angeli ab Augustino, utut locus à Bellarmino non sit expressus, autoritate Pauli dicuntur *electi vel prædestinati*, alio id sensu fit, quam qui hic attenditur, ut ipse Bellarminus agnovit & benè monuit, addens & hoc ex Augustini consensu non malè, etsi hic etiam loco non citato, Prædestinationem, videl. uti se in sequentibus explicat, *qualis nunc est*, sequutam esse prævisionem originalis peccati: quamvis quod ex opere *retractationum* de numero prædestinatorum vel prædestinandorum, si Adamus non peccasset, citat Bellarminus, ibidem non legatur.

vid. D.
Walth.
Cent.
p. 629.

In finali explicatione Prædestinationis, cujus definitionem ex Augustino inculcat vice repetita Bellarminus, dum duo iterum adverbia *infallibiliter* & *efficaciter* occurrunt, omninò liberari debent ab incommodis illis atque impertinentiis; quibus & particularitatem & irresistibilitatem Gratiæ inferri non semel hæctenus est dictum. Ad quæstionem

nem Scholasticam, num Prædestinatio magis ad intellectum, quam ad voluntatem debeat referri, ostendit dudum contra Bellarminum D. Dorfebens, Thomam de Aquino, et si videatur illi favere, huic tamen magis adpropinquare, quod contra Thomistam Lovanensem anthitheticum sufficienter est vindicatum, & simul ostensum, quod huc propriè pertinet, Augustinum quoque ad has inclinatæ partes, id quod ex iis etiam constat documentis, quæ Bellarminus in favorem opinionis contrariæ adduxit.

conf. Macedo, Col. lat. T. I. p. 456.

In priori quidem ex opere de *Bono Perseverantia* commendat Præscientiam, quæ ad intellectum ex debito refertur, sed statim subiungit verbum *disponere*, quod voluntatis est. In posteriori ex opere *Hypognoſticon*, quod diversis subjacet Censuris, apertius idem significatur, ubi inter alia hæc leguntur; *Prædestinatio à prævidendo & præveniando vel præordinando futurum aliquid dicitur, & ideo Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit & semper est, quidquid antequam sit, sic præscit, prædestinat, & propterea prædestinat, quia, quale futurum sit, præscit. Addit notanter, sed non omne, quod præscit, prædestinat. Mala enim præscit tantum, & non prædestinat; bona verò & præscit & prædestinat.* Præsupponit quidem in his Author præscientiam, sed in ea non ponit formalem Prædestinationis rationem quia potius apertissimè hanc ab illa distinguit, & ratione ordinis quoad nostrum concipiendi modum sequi illam ostendit; imò, quod notandum est probè, ita à se invicem discernit utramque, ut unam ab alterâ esse doceat, imò in malis esse reverrà confirmet præscientiam modò, non prædestinationem quoque, quod hucusque potest sufficere ad demonstrandum, Prædestinationem in se consideratam magis propriè ad voluntatem, quam ad intellectum referri, hoc quamvis ob præscientiæ necessitatem præsupposito.

1. 13. de Trin. c. 10.

Sequuntur nunc ea, quæ Bellarminus circa describendum Prædestinationis ordinem in mente divinâ habet ab orthodoxia Augustini & Evangelicorum non planè nihil devia, ad breve examen revocanda. *Primo* statim membro contra scripturæ revelationem statuit, prævidisse DEUM, posse se variis modis liberare homines lapsos vel omnes, vel aliquos pro arbitratu suo, dum sine restrictione & coarctatione omnipotentia divinæ verè dicitur, non nisi unicum à DEO prævisum esse modum, quibus homines lapsi, non aliqui tantum, sed omnes possent juvari, eum videlicet, qui postmodum deductus est in effectum. *Augustinus* de hoc ita suam expressit mentem, scribens: *Eos, qui dicunt, itane Deo alius defuit modus, quo liberaret homines à miseria hujus mortalitatis, ut Filium unigenitum Deum sibi coæternum, hominem vellent fieri, humanam induendo animam & carnem, mortalemque factum perpeti mortem? parum est sic refellere, ut istum modum, quos nos per Mediatorem DEI & hominum, hominem Iesum Christum, Deus liberare dignatur, adferamus bonum & divinæ dignitati congruum, verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem DEO defuisse, cujus potestati cuncta subjacent equaliter, sed sananda miserie nostræ modum convenientiorem non alium fuisse, necesse oportuisse. Quid enim tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentisque mortalium, conditione mortalitatis ipsius abjectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam ut demonstraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret? Videtur quidem Augustinus consentire Bellarmino in commendanda DEI omnipotentia circa modum non unum ad homines à morte æternâ liberandos; sed dum expressè addit, convenientiorem non fuisse alium, quàm quo facta est redemptio, quin nec esse etiam oportuisse, imò insuper certo respectu eum dicit fuisse necessarium, prædamnavit Bellarmini sententiam de prævisis à DEO variis liberandi modis, & rectè quidem, quia in scripturis quoque sacris nulla hujus varietatis ratio habetur, solo Christi patientis nomine & merito fidelibus ad æternæ salutis acquisitionem præscripto & commendato.*

Deindè, præter id, quod in serie & ordine Decretorum Bellarminus primum de hominis ad imaginem, & quæ sequeretur eam non amissam, beatitudinem æternam creatione omisit, sibi met ipsi contradixit & scripsit, dum post lapsus permittendi prævisionem statuit, voluisse Deum non omnes, sed quosdam ex lapsorum numero misericorditer liberare, aliis in massa perditionis justè relictis, contra id, quod Controversia an-

siã antecedente de auxilio sufficienti ad salutem omnibus dato ex Augustino etiam docuit & confirmavit, nunc Apostatã factõ, & castris particulariorum ac nominatim supra vel antelapsariorum adscripto, quod inconstantis animi indicium est.

Tertio, idem dici debet atque potest de eo, quod de idoneis pro salvatione electorum mediis subjunxit, dum supra non semel est ostensum, eadem media Gratia sufficientis Augustinum ad scripturã normam reprobis & electis adscripsisse, quamvis dispari cum fructu & effectu, his quidem Gratia per vires in ejusdem oblatione datas obedienter se submittentibus, illis autem contumaciter vel statim à principio repudiantibus, vel acceptam ob seculi amorem negligentibus & amittentibus, atque propter hoc ipsum justissimo DEI ad ulteriorem & extraordinariam auxilii Gratiam minimè obligati iudicio reprobatis, adque æternam damnationem destinatis, nullo Gratia, sed solius Fidei non acceptatã aut repulsa defectu.

Quarto, invertit ordinem Decretorum à Scripturã observatum Bellarminus in eo, quod electionem Christi, videlicet, ad satisfaciendum pro peccatis humani generis, excogitationi remediorum, eorundemque adprobationi postposuit, quã tamen omninò debebat antecedere, addito, quod orthodoxorum alii etiam observarunt, hanc electionem liberandam esse ab omnibus illis imperfectionibus, quã electioni inter homines usitatã ob causas satis cognitatas solent adherere, quales sunt & numerantur, hujus vel illius dubii occurrentis discussio, prævia ante decretum consultatio, à notiori ad ignotius progressio, utpotè quibus & similibus, cui ab æterno omnia sunt cognitissima, opus habet minimè, & quæcunque talia in hocce negotio & aliis scriptura solet commemorare, ad nostrum intelligendi modum sunt aptata.

Quinto tandem, quod primarium in hac Quæstione est notatu dignum, Bellarminus in hac serie Electionis omittit Fidem, nullatenus omittendam, utpotè toties à Spiritu Sancto inculcatam, quoties per Fidem homines docet salvari; eandem verò rationem electionis ad gloriam, quã ad gratiam est, esse, Bellarminus ipse in hac Controversia, & quidem ex Augustino etiam, in se contra alios è numero Scholasticorum suscepit demonstrandum, hic quoque cum omnibus cæteris Ecclesiæ Romanensis Doctoribus ostendens, quantus sit Fidei salvificæ hostis, quam, ut in scriptura tanquam ex parte nostri solum Justificationis & æternæ salvationis medium locis ferè innumeris commendatum, ausu tamen nefario & inexcusabili exclusam voluit & exilio quasi præscriptam, ordini Divino è diametro contrarius, eò acriori insuper Censurã ex Instituto præsentis perstringendus, quò majori conatu, non dicam nunc oracula scripturæ, quod ab aliis ad oculum sufficienter est demonstratum, sed Augustini testimonia ad suas trahere partes præter mentem Doctoris sancti laboravit, quod nunc erit ostendendum.

Videlicet, postquam Bellarminus Controversiæ statum se putavit potuisse, & exposuisse Mentem suam, non ubique sanam, uti proximè visum est, & non parum in plerisque capitibus erroneam & scripturæ adversam, non tantum ausus est eam plerisque post exortam hæresin Pelagianam Ecclesiæ Doctoribus sanctitatis nomine claris tanquam Fidem Catholicam adscribere, sed ad Augustini præcipuè consensum provocare, eundemque ita commendatum describere, quasi hæc sententia, utpotè à Pontificibus Romanis Cælestino, Leone, Gelasio recepta & approbata non pro quorumvis Doctorum opinione, sed Fide Ecclesiæ Catholicæ sit habenda & agnoscenda. Non repeto observationem de authoribus opinionis contrariæ paulò ante exindicio *Macedonis* Augustiniani adductis, sed addo hic insuper, plures esse, qui à Bellarmino hic dissentiant. Juvat pro more hætenus recepto unius & alterius mentem accuratius circa hanc Controversiam maximi æstimandam indagare. *Becanus* certè, Theologiæ Scholasticæ Expositor non postremus hoc seculo, à parte stans adversaria, & Prædestinationi Meritorum prævisionem subternens, ubi ad auctoritatem Augustini fuit respondendum, sequentia scripsit non negligenda: *Augustinus duplicem agnoscit prædestinatorum electionem, unam ad Gratiam, alteram*
ad glo-

de Deo &
Attrib.
c. 14.

ad Gloriam. Priorem vocat Prædestinationem & præparationem Gratiæ, posteriorem vero electionem, seu prædestinationem remunerationis. Quando igitur disputat contra Pelagianos, neutram probat esse factam ex prævisis liberi Arbitrii meritis. At contra Sempelagianos contendit solum, electionem ad gratiam non esse factam ex liberi Arbitrii meritis. An autem electio ad gloriam facta sit ex meritis gratiæ, quod hic queritur, nunquam fuit apud ipsos controversum. Quid autem sentiat Augustinus de electione ad gloriam ex prævisis gratiæ meritis, non satis constat. Aliqui putant, illum sentire nobiscum, nempe, electionem efficacem ad gloriam ex prævisis gratiæ meritis esse factam. Alii vocant illum contra nos, alii denique contendunt, initio quidem sensisse nobiscum, sed postea tamen revocasse, inter quos Bellarminus primum occupat locum. Itaque incertum est de mente Augustini.

T. I. l. 9.
c. 6. & seqq.

cap. 9.
p. 183.

Hæc ille à mente Bellarmini non parùm aliena; in quibus etsi non pauca sint, quæ merentur debitam animadversionem, tamen ob vitandam hic prolixitatem ad sequentia reservantur examinanda, ubi Bellarminus, quod hic videtur contra Pelagianos infringere, utraque manu largitur & omnibus urget modis. Sufficiat hic illud solum observasse, Bellarminum è Socii apertissimâ confessione consensum Augustini justo liberius & liberalius sibi promissile. Accedit aliud quid, iudem notatu dignissimum, quod alius & recentior Bellarmini focius, nimirum laudatus supra non semel Petavius, contra hanc nimiam Bellarmini libertatem & liberalitatem suppeditat, ut aliorum de Augustini sententia circa Quæstionem hanc Judicia prætermittam in præsens. Is equidem prolixissimè in Theologia, quam vocat dogmaticam, occupatus est circa demonstrandam ex Augustino sententiam, electionem ad gloriam, seu Prædestinationem ex nullis Meritis à Deo prævisis fieri, sed ex gratiâ voluntate, in quo videtur partes Bellarmini strenuè & fortiter defendisse; in adpendice autem ad libros de Incarnatione, quæ post alteram Tomi quarti partem legitur, contra Bellarminum, quamvis nomine ejus non expresse, monuit aliqua observatu non indigna, è quorum numero sequentia huc omnino videntur pertinere: Augustinus sententiam de electione ad gloriam nullis prævisis Meritis facta amplexus, suffragatores habuit posteros complures; neque tamen aut illius auctoritas, aut istorum consensus à sententia illi contraria sequenda tuncdaque retardavit insignes aliquot Pietate ac Doctrinâ Theologos, quorum tantum valuit exemplum, ut hoc tempore communiter ac promiscuè in Scholis adhibeatur, & ut inania se habent; altera paulatim obducta rerum videatur potitura. Et ubi repetit, se antehac opinionem de electione gratiâ Augustino vindicasse, contra quam aliqui habuerant persuasum, ac quam potuerit validis rationibus defendisse ac munivisse, post tamen eam quam honorificentissimè dimissâ alteram decrevit anteponendam, addidit, hocce suum factum & consilium jure neminem posse vituperare, nisi qui hoc ante constituerit, ambarum illarum alterutram evasisse in auctoritatem Fidei Catholice, quod quidem putat neminem nisi iniquum, ac parùm aut eruditum aut consideratum facere. Aliquibus interpositis sequentem format quæstionem: Hanc Fidei Catholice lege constitutum est, ut ea docerent ac profiterentur Christiani, que de Electione ad gloriam sine Meritorum prævisione Augustinus affirmat? In negativam inclinare Petavius, sequens proximè Quæstio indicat: Quæ Synodus, quod Decretum Pontificis Romani illam opinionem declaravit esse rem Fidei Catholice? Et iterùm alia: Cum tam multa de gratiâ & justificatione contra Pelagianos & recentiores hæreticos in Concilio & Decretis Pontificis definita præscriptaque sint, quis eam Quæstionem inclusit in necessitate professionis Catholice? Petavio succedat laudatus itidem supra ex eadem Societate Doctor Ignatius de Kennis, mentem suam super Augustini sententia verbis sequentibus exponens: Præcipua contentio est circa eam, que, videlicet contentio, uti multis jam temporibus tenuit, ita nullis inquam opinor, est finienda, quod ejusmodi in utramque partem testimonia est. S. Doctoris operibus possint deponi, quorum si alterutra tantum reperirentur, posset pro illa parte de mente ejus pronuntari securè. Nunc alia aliis quandam incertitudinis umbram adfricant, ut aliquando subierit cogitatio, utramque illi sententiam ut probabilem placuisse, & modo hac, modo illa pro diversis occasionibus usum fuisse. Addit, se id magis acturum, ut declaret, quod alteram, videlicet de Electione ex Meritis, sententiam liquido tenuerit & revocaverit nunquam, quam quod non tenuerit aliam. Subjungit,

de Deo
uno &
Trino,
Disp. II.
cap. 4.
p. 274.

jungit, id quod crebro in ore habeant non pauci, Augustini doctrinam in libris de gratia de Prædestinatione traditam esse ab Ecclesia & Pontificibus adprobatam, tantum quoad eos Articulos esse verum, in quibus contra Pelagium & Semipelagianos docuerit, solis arbitrii liberi viribus sive gratie vera interna auxilio nullum dari Iustificatio- nis initium, non meritum, non perseverantiam, non respicientiam, non denique glo- riam. Ratione esse dicit, quia major adprobatio nusquam extet, & Pontifices Augu- stini doctrinam adprobantes, ut Zosimum, Cælestinum, Leonem Magnum, Gela- sium &c. exque Leonis præscripto Concilium Arafricanum secundum, horum & nullorum aliorum Articulorum meminisse, imò Cælestinum expresse in Epistolâ ad Gallia Episcopos aliis Augustini sententiis, inter quas præfens quoque sit, majorem negasse auctoritatem, scribendo, Profundiores difficilioreque partes incurrentium Quæstio- num, quas pertractârunt latius, qui hereticis resisterent, sicut non audeamus con- temnere, ita non necesse habemus adstruere. Provocat post etiam ad exemplum Pe- tavii, qui, etsi pluribus argumentis demonstrare fuerit conatus, aliam fuisse Augu- stini doctrinam, tamen *citra piaculum* apertè discesserit ab eâ. Multiplici modo scriptor hic discedit à mente & sententia Bellarmini, ut ad eò mirum possit videri non immeritò, eum tam temerariè ad fidem catholicam totius Ecclesiæ provocare ausum fuisse, non paucis ex eodem ordine Sociis apertissimè contradicentibus & scribentibus. Superpondii loco & ex abundantia addatur hisce novissimus Doctrinæ Augustini vindex *Henricus de Noris*, Professor Patavinus, inter alia contra Augu- stini hostes inquirens, *An sententia ejus de Prædestinatione ad Gloriam ante omnem meritum prævisionem sit per excessum prolata?* In cujus Quæstionis discussione contra Petavium, Augustini auctoritatem ad hanc Controvertiam pro nullo vale- re præjudicio, scribentem observat, Anno Seculi superioris post octogesium quarto, à *Claudio Aquaviva*, universæ Societatis Moderatore, prævio sex Theo- logorum ejusdem Sodalitii examine, selectas esse quasdam sententias omnibus so- ciis defendendas, ne quolibet Doctrinæ vento circumferrentur, ubi sequentia le- gantur: *Definitum est, Prædestinationis nec rationem nec conditionem esse ex parte no- stra. Id ad Pietatem pertinere parum, dicit aliquis. At hanc Augustini doctrinam non modo communiter Theologorum Schola jam recipit; sed & Ecclesiæ Patres per mille & ducentos circiter Annos, qui id probare contendunt ex scripturis & Responsis Pon- tificum Romanorum, nempe, Zosimi, Sixti, Cælestini, Leonis, Gelasii, apud quos Massilienses Cassianus, Faustus, aliique hujus Prædestinationis (gratuitæ) oppugnato- res male semper audierunt.*

Circa finem vindiciarum idem peculiare caput, idque satis prolixum, scripsit contra eos, qui verbis ex Epistolâ Cælestini ad Gallos ab *Ignatio de Kennis* supra pag. 207. & seqq. hunc in finem citatis ad limitandam Augustini auctoritatem utuntur, vel potius abutuntur, ostendens non solum, è sententia *Baronii, Suarezii, Sirmondi*, verba hæc non esse partem ipsius Epistolæ Cælestini, sed adpenticem ejus à manu aliena adsumam; verum etiam, etsi pro verbis Cælestini agnoscantur, non tamen ob- esse auctoritati sententiæ Augustini de Prædestinatione gratuitâ, quod non pauci opinionis contrariæ fautores existimaverant. Vide hic iterum lector Cadmæos fra- tres non tam de sententia Augustini, quàm de sublimissimo fidei Christianæ articulo, Prædestinatione videlicet, gratuitane sit, an læcus, concertantes inter se & vehementissimè disputantes, quasi de vilissimo quodam negotio ageretur, & cui- vis esset licitum, pro lubitu sententiam, quæ probabilis videretur, amplecti & defendere; Ecclesiæ Romanensi, quæ unitatem fidei & Dogmatum ad eam pertinentium pro singulari notâ veritatis indubiæ venditat, eandemque sibimet præ omnibus aliis adscribit jactabunda, has lites & controversias, non hodiè demum natas, sed à plurimo jam tempore ultrò citroque ventilatas oculis conniventibus intuente, nullâ sollicitudine adhibita, ut per auctoritatem, quâ ante cæteras se putat gaudere, Apostolicam sopiantur, quæ non sine maximo unitatis præjudicio ac infirmi- orum scandalo fervent, neque nullum planè impedimentum ponunt infidelium extra Ecclesiam conversioni.

Ut autem ad Augustinum redeamus & respiciamus, visuri inter has diver- sissimas de ejus mente opiniones, quibus optimum Doctorem miserè distraxerunt, qui varia methodo & intentione, suis nimirum inservientes hypothefibus. Eum

Pppp

ad partes

ad partes cogere laborarunt, quæ eo steterit sententia de Quæstione præsentis, & ne labes erroris tanto Patri possit jure imputari in genere notandum est, cum neque à partibus Bellarmini, neque à partibus sententiæ, quam sibi contrariam oppugnavit, stetit, ac ab utrisque in irritum ad ejus auctoritatem provocari. Hoc quidem debet haberi pro certo & indubio, quidquid post omnes alios *Ignatio de Kenis* videatur, omnium minimè eum inclinasse ad sententiam de Prædestinatione ex meritis vel post meritum prævisionem, utpotè contra quam loca fere innumera è pluribus ejus scriptis possunt adduci, Petavio, quamvis eidem adhaerente, id ingenue tamen, uti par erat, agnoscente. Sed & neque pro sententia Bellarmini pugnasse debet existimari. Agnovit quidem cum eo Prædestinationem omnino gratuitam, nullo Meritorum respectu ex parte hominis intercedente. Verum, ut de gratia efficacis & irresistibili, quam ex antecedentibus hic iterum inculcavit Bellarminus, non repetat, quæ supra non semel ex Augustino sunt observata; ipsa fidei omisso in descriptione Prædestinationis facit, quo minus Bellarmino adhiberi, & Augustino in castris ejus partes liceat permittere. Non nescius sum, quid in contrarium hic soleat proferri, quasi respectum fidei ab hoc Prædestinationis negotio videatur sanctus Pater omnino removisse. Atqui si mens ejus ritè percipiatur & attendatur probè, contra quem vel quos talia scripserit, manifestum fiet, nihil eum contra nos scripsisse.

cap. 23.

Videlicet primo *Retractionum* libro, quo examinavit à se adhuc juniore & ante Episcopatum scripta, sub ineundem quoque revocavit *Expositionem quarundam ex Epistola Pauli ad Romanos*, in gratiam Fratrum quorundam antehac oretenus & scriptorenis traditam. In ejusdem capite sexto inter alia se hæc scripsisse notat: *Non elegit DEVS opera cujusquam in præscientia, quæ & ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia, ut quem sibi crediturum esse præservit, ipsum elegerit cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando vitam quoque æternam consequeretur.* Addit pro Epicrisi, *Nondum diligentius quæseram, nec adhuc inveneram, qualis sit electio gratiæ, quæ utique non est gratia, si eam ulla præcedant merita, ne jam quod datur, non secundum gratiam, sed debitum reddatur potius meritis, quam donetur.* Proinde, *quod subjunxi, Quod ergo credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum, profectò non dicerem, si jam scirem, ipsam fidem etiam inter DEI munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum Fidei & charitatis.* Et quod paulò post dixi, *Nostrum est credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, verum est quidem; sed eadem regulà & utrumque ipsius est, quia ipse preparat voluntatem, & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Ac per hoc, *quod etiam postea dixi, Quia nec velle possumus, nisi vocemur, & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi DEUS & vires currentibus præbeat & perducatur, quo vocat; ac deinde subjunxi, Manifestum est ergo, non volentis, neque currentis, sed misericordis esse DEI, quod bene operamur, omnino verissimum est.* Sed parum de ipsa vocatione disserui, *quæ fit secundum DEI propositum; non enim omnium, qui vocantur, talis est, sed tantum electorum.* Itaque, *quod paulò post dixi, Sicut in his, quos dixit DEUS, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus DEI operentur bene; sic in his, quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnam meritum, ut per ipsam pœnam malè etiam operentur, verissimè dixi, sed fidei meritum etiam ipsum esse DEI donum, nec putari querendum esse, nec dixi. Et alio loco, Cujus miseretur, inquam, facit eum operari bene, & quem obdurat, reliquit eum, ut mala operetur.*

Sed & illa Misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti impietati; *quod quidem verum est. Sed adhuc querendum erat, utrum & meritum fidei Misericordia DEI præveniat, id est, utrum ista Misericordia idè tantummodo fiat in homine, quia fidelis est, an etiam facta fuerit, ut fidelis esset. Legimus enim Apostolo dicente, Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem, non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam, ut esset*

ut esset fidelis. Debuerunt hæc aliquantò plenius & prolixius adscribi, ut, quia hic locus esse solet inter vexatissimos, qui sæpius contra Evangelicorum sententiam ob- jicitur, quasi ab eadem alienissimus, imò derecētissimè eidem oppositus è toto con- textu pateat, quid propriè fuerit à Doctore sancto retractatum & revocatum. Ni- mitum, non retractavit, quod fidem elegisse DEUM in præscientia scripsit, uti hostibus fidei videtur, sed quia fidem putavit ex arbitrii viribus, non à præve- niente DEI gratia originem habere, & eam antecederet promereri. Id ita se habere, constat exindè, quia scribit expressè, se scire jam, in retractationibus vi- delicet occupatum, quod antehac nesciverat, ipsam etiam Fidem inter DEI munera reperiri. Atque eodem sensu in sequentibus confirmat verissimè se scripsisse, non opera, sed Fidem inchoare meritum, (vocabuli meriti in significatione ampliori sumto, uti Bellarminus ipse monuit,) hac tamen addita limitatione, quam antè- hac se fatetur omisisse, Fidei meritum etiam ipsam esse DEI donum. Ita etiam agno- scit porrò verum esse, quod scripsit, Misericordiam, videlicet electionis, tribui præcedenti merito fidei, sicut obduratio tribuitur impietati (vel infidelitati) præceden- ti, nisi quod addit, querendum adhuc fuisse, utrum ita Misericordia ideo tantum fiat in homine, quia fidelis est, an verò etiam facta fuerit, ut fidelis esset, sequenti decisione, Fideli Misericordiam dari quidem, sed datam esse etiam, ut esset fide- lis. Ubi notanter distinguit Pater augustissimus inter misericordiam vel gratiam DEI vocantis & eligentis, illam præcedere & absolutum sine respectu fidei, hanc verò sequi & hypotheticam cum respectu fidei conjunctam esse docens, quod fa- tis est huic Proposito, undè cætera etiam facillè possunt illustrari. Confirman- tur hæc etiam uberius ex eo, quod eodem tempore, quo retractationes scripsit, in libro de Prædestinatione Sanctorum, quem ad Prosperum & Hilarium aliqua ex operibus difficiliora objicientes direxit, & in eo mentem suam prolixissimè ex- posuit, eodem modo hunc errorem suum agnovit & emendavit, eadem addu- cens verba, quibus eum in retractationibus usum vidimus, in antecessum signifi- cans, quo scripturæ testimonio ab hoc errore suo fuerit abductus, verbis nimi- rum Apostoli sequentibus: Quid habes, homo, quod non accepisti? Si autem ac- cepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Hoc testimonio præcipuè convictus 1. Cor. 4.

Addit, Neque enim putabam, Fidem gratia DEI præveniri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consenti- remus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitraber; quem meum errorem opuscula mea nonnulla ante Episcopatum meum scripta satis indicant. Ha- bes hic, lector amice, Augustinum confitentem reum, & agnoscentem sed non in numero plurali errores, verum in singulari errorem, quem præter necessitatem & debitum multiplicare sine gravi injuria in authorem tam commendatum nemo pot- est. Observatum id etiam est Doctoribus Evangelicis, qui in Controversiæ hujus accuratori tractatione ex Augustino monuerunt, id solum in hæc Quæstione Au- gustinum retractasse. Imò, quod probe notandum & contra Bellarminum & alios, qui Sancto Doctore mentis inconstantiam vel aliquem excessum in his contra Pelagia- nos Controversiis adscribunt, laudatus paulò ante vindex Augustinianus, Hen- ricus de Noris, post plura in gratiam Augustini contra recentiores Augustino-ma- stigas monita, hæc pro ejus Doctrina in hoc Fidei puncto scripsit: Nullum in li- bris contra Pelagianos adsertam Dogma recantavit, nullam, non dico, sententiam cor- rexerit, sed neque unum verbum, veluti minus aptum erasit, sed universa ac sin- gula adprobavit autoritate senili; ut vel hinc Divina gratia, quam triginta & am- plius libris contra Pelagianorum insultus acerrimè propugnavit, dignam veluti tan- to labore vicem rependens, scribenti adfuisse sit credita, quod procul à quolibet vel levissimo errore Volumina illa credo digna perscriberet. Post aliqua, Ecclesie Do- ctiores tantum abest, ut vel unà liturà Augustini de gratia Divinà doctrinam emen- darint, ut veluti è sacratori Cortina datam eandem venerantes contra Semipela- gianos defenderint, ac Romana ipsa Ecclesia fidelibus sequendam proposuerit. Ad

hominem me disputare hujus testimonii adductione nemo non videt. Sufficiat illud interea, contra illorum accusationes præsertim, qui exortis post *Iansenium* de gratia & Prædestinatione Controversiis, necdum post aliquot Pontificum Romanorum Bullas omnino sopitis, Augustinum ad partes diversas & adversas trahere, & tantum non discerpere sunt ausi, excitato inter ipsosmet vindice, quorum in explicandâ Augustini sententia labor hæcenus fuit quam-maximè dubius & anceps.

Ne verò eadem culpâ nobis etiam Evangelicis justè possit imputari, præter ea testimonia de Fidei respectu in negotio Prædestinationis, quæ in retractationibus minimè retractata vidimus, quidquid etiam hostibus Augustini, præjudicio laborantibus & aliorum autoritate præoccupatis videatur, ostendendum nunc restat, Augustinum alibi etiam hunc Fidei respectum in negotio Prædestinationis attendisse. Eminent hic locus verè classicus è Commentario in Evangelium Johannis enucleatissimo desumptus, ubi verba Christi, *Qui ex DEO est, DEI verba audit*, sequentem in modum ad institutum præsens accommodatissimè explicantur: *Quod Dominus ait, Qui ex DEO est, DEI verba audit, propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis; non merita naturarum discrevit, aut propter suam carnem & animam in hominibus aliquam invenit naturam, que peccato non esset vitata, sed quomodo (videtur legendum esse, quoniam) præscierat, qui fuerant credituri, ipsos dixit ex DEO, quomodo (vel, quoniam) regenerationis adoptione renascerentur ex DEO. Ad hos pertinet, qui est ex DEO, DEI verba audit. Quod verò sequitur, Propterea vos non auditis, quia non estis ex DEO, eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant, (nam hoc malum omnibus erat commune,) sed etiam præcogniti, quod non fuerant credituri eâ fide, quâ solâ possent à peccatorum obligatione liberari. Quapropter præscribat illos, quibus talia dicebat, in eo permansuros, quod erant ex Diabolo, id est, in peccatis suis ac impietate morituros, in quâ similes erant ei, nec venturos ad regenerationem, in qua essent filii DEI, hoc est, ex DEO nati, à quo erant homines creati. Secundum hanc Prædestinationem locutus est Dominus, non quod aliquem invenerit hominem, qui vel secundum regenerationem jam esset ex DEO, vel secundum naturam jam non esset ex DEO. Satis aperta hæc esse pro decisione præsentis Controversiæ existimo, nec dubito, quin cuncti Veritatis Evangelicæ studiosi id ipsum sint agnitori. Non enim modò Fidei præscientiam inculcat, sed etiam è contrario ejus defectum accusat, expressissimè significans, in negotio Prædestinationis ex mente Salvatoris CHRISTI omninò eam debere attendi & in considerationem trahi. Huc pertinent & referri debent ea Augustini loca, quæ universalem DEI erga omnes in universum homines gratiam docent & confirmant, suprâ ex indicio *Petavi* adducta. Posita enim hæc universali erga omnes gratia, & quæ illam sequitur immediate, universali pro omnibus merito & satisfactione CHRISTI, atque ut omne trinum sit perfectum, universali per verbum ad Ecclesiam vocatione, electio absoluta stare non potest, iis ipsismet agnoscentibus, qui huic, id est, electioni atque sic etiam reprobationi, absolutæ fundamenti loco particularem gratiam, particulare meritum, particularem quoque vocationem substernunt, uti è publicis ipsorum scriptis constat, nec uberiori opus est expositione.*

Id porò nunc superest, ut quoniam Bellarminus suam Propositionem de gratuita Prædestinatione contra hostes ejusdem variis ex Augustino etiam rationibus confirmare laboravit, quid de iis statuendum sit, quàm licebit brevissimè videamus; præmissò hoc ex antecedentibus Monito nos quoque Evangelicos gratuitam docere Prædestinationem, sed cum respectu Fidei, ut sufficienter est ostensum ex Augustino, hic etiam Evangelicæ Veritatis Teste & Confessore luculentissimo. Et quidem circa rationem *primam* habet aliqua, quæ merentur ad sensum, aliqua, quæ è contrario dissensum. Optimè, adque Evangelicorum sententiam adpositissimè verba CHRISTI de Fide, Salutis æternæ medio, & ejus defectu, tanquam æternæ damnationis causâ commendat, quibus nihil ex universo Codice Biblico ad præsens Institutum accommodatius potuisset adduci, dum Prædestinatio gratuita, quam Bellarminus defendit absolutam, hoc

Tract. 42.
circa. fin.

hoc ipso statuitur hypothetica expressissimè, ut non potuerit expressius. Rectè itidem, atque ad Augustini mentem Fides dicitur DEI donum esse; sed minus rectè, minus orthodoxè additur *Fidem non omnibus dari*, utpotè pugnans directè contra Augustini testimonia superius adducta, quæ universalem DEI vocantis & Fidem obferentis gratiam adstruunt.

Pejus adhuc Apostoli testimonium ad *Philippenses* applicatur errori huic, quia ex receptis Philosophorum regulis unius positio non est alterius exclusio, minimeque sequitur, id quod Paulus in his auditoribus suis tanquam insigne aliquod à DEO Beneficium prædicavit, aliis quoque non commune fuisse, quin potius ex cæteris Epistolis patet clarissimè, ejusdem Beneficii per munus Apostolicum alios plures factos esse participes, imò quoad oblationis Divinæ gratiam universalem omnes & singulos, etsi non ab omnibus receptam vel conservatam, quod non DEO, sed hominum perverſitati venit adscribendum. Omnium pessimè autem hoc idem ad consequentiam trahitur à Bellarmino. Verum est quidem, quod scribit, *illos salvari solos, quos gratis salvare DEVS decreverit*, si hominum mèrita excludit tantum; at si Fidem simul exclusam vult, decretum salvandi statuens absolutum, sine respectu Fidei in meritum CHRISTI quem electionis ordinem expressè scriptura describit, falsum est. Atque sic etiam sequentia debent intelligi verba Bellarmini, *quod nimirum præscriberet DEVS ante constitutionem mundi, quibus salutem gratis* (sine propriis videlicet meritis, non tamen sine respectu intercedentis meriti & satisfactionis CHRISTI per Fidem veram & vivam adprehendendi) *esset daturus, & hoc ipsum* (id est ordine jam dicto & sibi beneplacito) *ab ipsa æternitate decreverit & præordinavit, cum scientia DEI & Proposito* (hoc ordine homines eligere & salvare) *sint æterna & immutabilia*. In Conclusione itidem verè scribit, veram esse Augustini sententiam de gratuità Prædestinatione, prout ea in antecedentibus est explicata; minus autem accuratè scientiam, quam proponit, nec immeritò, Prædestinationi, dicit *gratuitam*, utpotè quod epitheton impertinentissimè huc trahitur. De vocabulo *Meriti* & ejus sensu ad Patrum & nominatim Augustini mentem suo infra loco uberius erit locus dicendi. Nunc quod *secundam* attinet rationem, quam Bellarminus ad gratuitam Prædestinationem suo sensu demonstrandam adducit, desumptam à *Dono Perseverantiæ*, Augustini quodam testimonio confirmatam, magis ad Evangelicorum sententiam de fide negotium electionis ingrediente debet referri, quia constat, requiri non quamvis Fidem, non in specie temporariam, etsi veram & sinceram, sed constantem & ad vitæ finem constantem perseverantem, oraculis scripturæ id clarissimè exigentibus.

Quin & rationes additæ à Bellarmino magis speciales, orationis pro fidei constantia necessitatem ac termini vitæ considerationem urgentes, huic sententiæ nihil omnino obsunt. Non preces quotidianæ à DEO imperatæ. Commendantur enim eæ fidelibus, ut Fides prævisa per eas eò magis crescat & augeatur, Pietasque & Devotio Christiana in perpetuo conservetur exercitio, sine quibus hominem fieri languidum & desidem testatur Experientia. Neque etiam *Terminus vitæ*, qui etsi à nutu DEI dependet, nihil tamen impedit, quò minus à DEO fides in homine ad æternam Beatitudinem eligendo respiciatur. Exempla eorum, quos ante lapsum DEUS ad se rapit, uti Author libri sapientiæ scribit, Augustinus non inter ordinaria, sed inscrutabilia DEI Judicia ponit. Hinc in opere de sanctorum Prædestinatione: *Quis audet negare christianus, justum, si morte fuerit præoccupatus, cap. 14. futurum in refrigerio? Quilibet hoc dixerit. Quis sane fidei homo putabit resistendum? Item, si dixerit, justum, si à iustitia sua recesserit, in qua diu vixit, & in eâ fuerit impietate defunctus, in quâ, non dico, Annum unum, sed diem unum duxerit, in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil sibi præteritam Iustitiam suam profuturam; huic perspicua veritati quis fidelium contradicit? Porro, si queratur à nobis, utrum, si tunc esset mortuus, quando justus erat, pœnas esset inventurus, an requiem; numquid requiem respondere dubitamus? Hæc tota est causa, cur dictum est, à quocunque sit dictum, raprus est, ne malitia mutaret intellectum ejus; dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum DEI præscientiam, qui hoc præ-*

servit, quod futurum erat, non quod futurum erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non, quod peccatorus esset, qui mansurus in tentatione non esset, de hac quippe vita legitur in libro Iobi, Numquid non tentatio est vita hominis super tertiam? Sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vite periculis, dum justi sunt, auferantur, alii vero justi, donec à Iustitia cadunt, in eisdem periculis vita productiore teneantur, quis cognovit sensum Domini. Et tamen hinc intelligi datur, illis etiam justis, qui bonos pioque mores usque ad senectutis maturitatem & diem vite hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino gloriandum esse; quoniam qui vite brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantumcunque vite longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus. Cur autem tenuerit, quem casurum justum priusquam caderet, hinc posset auferre justissima omnino, sed inscrutabilia sunt Iudicia ejus. Aliquantò prolixius hæc debuerunt exscribi, quia Doctoris sancti mentem super præsentis testimonio satis aperte declarant, nostræ de Fidei respectu in negotio Electionis Sententiæ nihil planè obficientem, modò sincerè proponatur & intelligatur.

Quoad rationem tertiam à parvulorum diversitate desumptam nullà hic opus est responsione, cum de Augustini sententiâ supra peculiari Quæstione sit actum. Restat quarta, Exemplum CHRISTI commendans, quo etiam non semel Augustinus hic & ibi legatur usus ad gratuitam fidelium electionem contra Pelagianos merita urgentis demonstrandam; putans, eandem esse rationem capitis, quæ membrorum sit, non tamen iusto amplius hæc comparatio & præter mentem Patris augustissimi debet extendi, cum alias facile possit ostendi, in hoc simili plura etiam occurrere dissimilia, hæc etiam addendâ observatione, Codicem sacrum nullibi expressam hujus inter Caput & membra comparationis facere mentionem, Augustinum quoque non aliâ de causâ & ratione usum esse eâ, quam ut omnem meriti respectum excluderet à negotio electionis, quam contra Pelagianos ideò gratuitam defendit acerrimè.

Sed progrediendum est ulterius cum Bellarmino, & videndum porro, quid partim ad auctoritatem scripturæ à parte adversariâ pro meritorum respectu in Prædestinatione adductam, partim ad testimonia ipsius Augustini, quæ eadem merita videntur urgere, conatus sit respondere Bellarminus. Et quidem ad locum de conservatione Coronæ Apocalypticum ea ex opere de *Correptione & Gratia* Augustini verba ad demonstrandam Timoris necessitatem profert, quæ loco ibidem citato non leguntur; quamvis, si legerentur ibidem, non eo deberent trahi, quo Bellarminus putat, uti in Quæstione de Salutis certitudine infra demonstrabitur. De cætero, uti observatio Augustini de Patribus Ecclesiæ anterioris è *Prospero* non impertinens est, neque suo caret fundamento, quod præsentem atinet controversiam; ita quæ ad duo Augustini loca contra Prædestinationem gratuitam objecta respondet Bellarminus, brevem merentur censuram. Prior est ex opere de *Prædestinatione & Gratia*, contra quod etiam non sine causâ excipere videtur, non iudicari illud ab hominibus doctis esse opus Augustini, quod ejus nulla fiat mentio in *retractationibus*, neque in *Possidii* Indiculo; dum tamen addit, quisquis fuerit illius Author non videri eum à sententiâ Augustini dissentire, sibi ipse contradixit & scripsit Bellarminus, in opere de *Scriptoribus Ecclesiasticis* observans, hunc librum non solum à phrasi discrepare, sed etiam à doctrinâ Augustini, siquidem eo in loco, ad quem hic provocat Bellarminus, ultimo scilicet capite, dicat Author, *hominem potuisse à DEO iuste damnari, etiamsi non peccasset*, cui docuerit contrarium Augustinus in Epistolis supra citatis post centesimam quinta & sexta, uti etiam in opere de *Peccatorum meritis & remissione*, quamvis facilem & orthodoxum ea admittant sensum, quæ Bellarminus ad mentem illius Authoris sub Augustini nomine notavit, quod discretio iusti ab impio ad hominum voluntates quidem referatur, sed ultimam fieri resolutionem in voluntatem DEI, si nimirum hominis salvandi voluntatem consideremus à præveniente DEI gratiâ motam, àque servitute peccati post lapsum congenitâ liberatam, hominis

minis autem damnandi voluntatem depravatam, DEI gratiæ & motui reluctantem, rectius *noluntatem*, tandem DEI voluntatem non absolutam, quâ hos sine ullo respectu velit salvos, illos verò reprobos, sed conditionatam & ex Beneplacito ita ordinatam, ut illi ad aeternam salutem eligantur, quos prævidit Fidei donum gratosè oblatum per vires ad id ipsum concessas non solum accepturos, atque per eam CHRISTI Meritum fiducialiter sibi adplicaturos, sed etiam in verâ hac Fide usque ad vitæ finem inter gravissimas etiam tentationes & persecutiones suâ adstante Gratia constanter perseveraturos, è contrario ad aeternam damnationem reprobentur, quos eodem omniscientiæ oculo ab aeterno prævidit vel ipsum Fidei donum primitus oblatum nequiter repudiaturos, vel acceptam semel Gratiam atque ad tempus aliquod custoditam ex amore seculi partim, partim tadio Crucis & calamitatum, quæ veris Christi imitatoribus in hoc militantis Ecclesiæ statu nunquam defunt, Satana instigante excusuros, quod ad Bellarmini glossam observasse satis est.

Sequitur locus alter ex opere *Questionum octoginta & trium* desumptus, ad quem Bellarminus putat minus esse necessariam *Lombardi* notam, existimantis, Augustinum, quæ verbis ibidem citatis habet, postmodum retractasse; idque ideò, quia ibi sermo eidem non sit de Prædestinatione gratuita, sed de *obduratione & Iustificatione*, quarum utraque suas habeat causas ex parte hominum quamvis sæpè *secretissimas*, illa quidem peccata, hæc autem *Merita*, quo nomine hic Augustinus vocet *dispositiones* ad Iustificationem. Ad hæc notandum ante cætera, pertinere id inter postulata à Bellarmino nondum probata, alium esse respectum Iustificationis, alium verò Prædestinationis, & obdurationem contradistingui non Prædestinationi, sed Iustificationi, utpotè quod rem accuratè consideranti videbitur minus aptè dictum. *Deinde*, uti non semel hætenus est concessum, rectè dici Prædestinationem gratuitam, per remotionem videlicet Meritorum; ita pessimè in eo Iustificationem opponit Prædestinationi, quod illam fieri putat propter Merita, quod insuper Augustinus non dixit vel scripsit. Etiam enim aliquid in peccatoribus præcedere statuit, *quo digni efficiantur Iustificatione*, non tamen id vocat *Meritum*, quod vult Bellarminus, neque *Dispositiones*, uti interpretatur vocabulum Meriti Bellarminus, sed ordinem Divinum attendit, quem ex mero Beneplacito in negotio Iustificationis observat DEUS, sine ullo Meriti & Dispositionis Papæo sensu intellectæ respectu.

Alia autem omninò est ratio *meriti*, cujus mentionem facit Augustinus in his verbis, utpote, quod non nisi ad *Indurationem* referri debet, uti ex antecedentibus & consequentibus est manifestum, hoc etiam non neglecto, quod id ipsum recenscat inter *occulta* Augustinus, quemadmodum sæpius antehac factum est, ideò, quia intercedere putavit aliqua hominum ingenio impervia, nisi quod semper *Voluntatem DEI injustam esse non posse* inculcavit, quod hætenus potest sufficere.

Restat nunc, ut eæ etiam ponderentur responsiones Bellarmini, quibus satisfacere studuit rationibus in contrarium adductis & Augustini testimonio confirmatis. Et quidem ad *primam* rationem, à disparitate electorum in comparatione cum reprobis, Augustini testimonio ex opere ad *Simplicianum* desumpto illustratam responderet Bellarminus, Augustinum ea, quæ Juvenis ibidem scripserat, seniore in aliis operibus emendasse, nominatim in Epistolis sæpè citatis, in Libro de *Correctione & Gratia*, ut & in opere de *Civitate DEI*. Hoc responso etsi quam maximè sibi met ipsi placuisse visus est Bellarminus, aliis tamen sui ordinis, nec iis tantum, qui contrariam sequuntur sententiam, sed & qui similiter gratuitam defendunt Prædestinationem, non potuit omninò adprobare. Videamus, quid utrisque in eo displicuerit, ut & hinc iterum aliquod specimen perpetui Consensus orbi Christiano ponatur ob oculos, habeantque, qui non nisi auctoritatem Augustini habent in ore & calamo, quemque suum in omnibus Fidei Controversiis esse gloriantur, in quo vires suas experiantur, tentaturi, an unum semper idemque scripserit, àque cujus partibus inter adversarias steterit. Inter ejusdem opinionis Patronos præ aliis hoc

lib. III. de
Auxil.
Grat. c. 18.

argumentum prolixè tractans *Suarezius* agnovit expressè, pati hanc Bellarmini responsonem nonnullas *difficultates*, de alio sollicitus responso, eoque commo-
diori & aptiori. *Difficultates* duas esse dicit, *unam*, quia Augustinus in opere de
Prædestinatione Sanctorum illius ad *Simplicianum* Quæstionis mentionem faciens
eam commendat maximè, utpotè in quâ dicat esse laboratum pro arbitrio libero,
& DEI gratiam vicissè, quibus habeat similia in *retractationibus*, ubi totam videat-
ur adprobare Quæstionem, cum nihil ex eâ retractet. *Alteram*, quia eundem
loquendi modum videatur servare in illis etiam locis, in quibus maximè videatur
ponere Electionem ad Gloriam ante merita. Loca adscribere nimis est prolixum,
cum similia non pauca hæcenus non semel nec parè sint adducta. Quoad com-
modius verò responsum monet, aliter posse responderi, Augustinum aliquando
mutasse vel variasse modum loquendi, esto, sententia ejus ubique sit eadem; du-
plicem namque Electionem distingui posse ex eodem, unam per modum inten-
tionis, alteram per modum executionis, illam antecedere merita, hanc fieri ex
meritis.

Exponi ergò Augustinum, quod in illâ Quæstione loquatur de Electione
executivâ, in aliis verò locis de intentione ejusdem. Obstare quidem huic Inter-
pretationi, quod Electio executiva sit temporalis, in citato autem loco apertè eum
loqui de æterna; sed responderi, in ipsamet æternâ electione illas rationes duas
posse distingui, ipsomet Bellarmino ad locum quendam *Ambrosii* notante, eum
videlicet exponente primum de electione temporali, sed addente postmodum,
Electionem æternam modis duobus posse considerari, uno, ut est intentio dandi
gloriam, alio, ut est dispositio executionis & quasi executio in mente divina.
Priori ratione ex ejusdem Bellarmini sententia antecedere Electionem, quia in ge-
nere finalis causæ prior sit gloria, quam opera bona; posteriori autem modo sub-
sequi. Et de electione sub hac ratione posteriori Bellarminum interpretari verba
Ambrosii, & subdere, eodem modo posse dicta Patrum Græcorum exponi & cum
Augustino conciliari. Miratur hinc *Suarez*, cur non eodem modo Bellarminus
exposuerit Augustinum, & secum conciliari posse viderit, præsertim, cum multa sint,
quæ huic faveant expositioni.

Primum, quod Augustinus ibi hoc sumat principium, in quo totam fundet
doctrinam, *neminem eligi, nisi ab illo distantem, qui rejicitur*; quod de omni ele-
ctione, etiam de illâ, quæ sit per modum intentionis, intellectum non possit esse
verum, aliàs etiam electio ad primam gratiam efficacem vel Vocationem con-
gruam supponeret ejus differentiam, cui datur, ab eo, cui non datur, quod
constet falsum esse in doctrinâ etiam Augustini, quia vocatio illa non supponat di-
stantiam, sed faciat, & daretur aliàs ex parte nostri causâ totius Prædestinationis,
etiam quoad effectum primum, intelligi igitur necessum esse Augustini verba de
electione quoad ordinem vel dispositionem executionis. *Deindè*, Augustinum
ibi distinguere electionem à proposito, & loqui de proposito, quod sit radix vo-
cationis congruæ & efficaci, quod non aliud esse possit, nisi propositum dandi
gloriam, id est, electionem per modum intentionis, & hinc electionem alte-
ram, quam dicat subsequi ex hoc proposito, necessariò intelligendam esse de ele-
ctione per modum executionis. *Tandem*, dicere ibi Augustinum de Jacobo lo-
quentem, *Non electus est, ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit*; in quibus
verbis non solum videatur excludere electionem ad gloriam, sed etiam ad gratiam
vel ad Fidem. At constare, non potuisse id Augustinum de electione per mo-
dum intentionis dicere, ergò solum ibi declarare dispositionem execu-
tionis.

Ira *Suarezius* post & contra Bellarminum de hoc Augustini loco, etsi de cæ-
tero sententiæ Bellarmini quoad defensionem Prædestinationis gratiæ consen-
tiens. Hinc facilè creditu est, si responsum hoc Bellarmini satis non potuit face-
re ei, qui aliàs sterit à partibus ejus, multò minus id placuisse aut placere eis po-
tuisse, quibus hic in diversum ire videbatur ad ceteras hypotheses, quas commu-
niter ex Decreto Synodi Tridentinæ defendunt, longè consultius, inter quos no-
men suum profiteri *Petavium*, ante jam dictum est; qui insuper in *Suarezii* re-
spon-

Vasquezii & Lessii etiam fuisse monet, non omnino adquevit, contra primam ejus partem de retractatione observans, Augustinum non omnia, quæ utcumque aliter explicat aut senserat, quam fecit postea retractasse aut lectorem de eo monuisse, sed illa ferè tantum, in quibus se errasse aut minus Catholicè locutum esse animadvertat, illud autem de electione, deque Pauli interpretatione, quod ibidem docuerat, nihil erroris aut periculi continuisse, quare tamen post aliter & senserit & mentem Pauli exposuerit, nihil tamen fuisse necessum, illa priora retractare. Quoad alteram verò partem in se suscipit demonstrandum *Petavius*, hoc ipsomet testimonio non solum non everti opinionem de Prædestinatione gratuita, quam tot in libris adprobaverit Augustinus, sed adfirmari vehementius, ac tota prioris ad *Simplicianum* libri parte & Quæstione commendari. *Addit*, quod supra etiam non semel fuit observatum, Eum in *Expositione quarundam Propositionum ex Epistola Pauli ad Romanos* adseruisse, eligi Fidem, & putasse tum, eam à nobis esse; sed postquam pervenerit ad Episcopatum, sententia mutata Fidem ipsam cognovisse Dei donum esse, idque scribentem ad *Simplicianum* docuisse; electionem gratuitam tamen, quæ ex æqualibus nec ullo genere meriti discrepantibus uno relicto alter adsciscitur, non prius intellexisse, quam sumto contra perfidiam Pelagianam prælio vehementius in eam disputationem cœperit incumbere, neque tamen altero illo electionis genere invento prius damnare aut retractare opus habuisse, quoniam nihil in eo Pietati Catholica vel Dogmati vero de gratia Christi, quam propugnaverit, contrarium inest, adeoque id unum rescidisse ac mutavisse, quod de Fide & Justificationis initio Semipelagianorum errori contrarium tradiderit. Nihil igitur hunc Augustini locum turbare, imò opere magno adjuvare, atque se haud scire, scribit porò *Petavius*, an ullus sit locus, quo certius & evidentius illi revincantur, qui indidem studeant efficere, Augustinum putasse, electionem ad gloriam ex prævisione meritum fieri. *Post plura uberius hæc exponit verbis sequentibus*: Ex libris & tractatibus, in quibus de electione & Prædestinatione agit, Augustinus, constat, aliter de electione ipsum sensisse, postquam nata est Hæresis Pelagiana, & adversus eam de Prædestinatione cœpit accuratius contendere, quam antea, cum illos ad *Simplicianum* scriberet libros. Hic enim electionem esse nullam putabat aliam, quam quæ ex distantibus secernit aliquos, eosque merito præponit aliis.

Idè prius esse docuit in D E O propositum sive gratificandi consilium, hoc est, voluntatem Gratia illis largiendæ, seu Gloriam per Gratiam conferendæ. Non enim propter Fidem vel voluntatem fidei viribus naturæ exhibitam credidit Deum ad Justitiam & ulteriora Beneficia promovere electos, cum opus illud ad *Simplicianum* elucubraret, sed jam opinionem pristinam alia & veriore mutaverat, ut ipsius fidei voluntatem ac omnem religiosum animi motum sciret præveniri à Gratia. Verum hoc ipsum excitantis Gratia beneficium non est ratus electionem dici oportere, sed liberale donum Dei, siquidem electio secreti jam & distantis sit ab altero. Porò, (quia) nihil est, quod hominem ab homine discernat præter Gratiam, quare posteriorem Gratia censuit tum esse electionem. Postea verò illam Dei voluntatem gratuitam, quæ ex eadem massa corruptelâ non nullos excipit ad Gratiam & Gloriam, etiam instituit dicere electionem, ita tamen, ut ea non retractaverit, id est, revocaverit, quæ libro ad *Simplicianum*, modo etiam diverso, non tamen hæresi Pelagianorum consentaneo commendatus erat. *Tandem subjungit*, Quid igitur aliud, quam non expendisse verba Augustini *Vasquezium* (*Suarrezium*) aliosque putandum est, sed sola mentione electionis ex meritis percussos ac reliquorum securos id allegasse pro suâ opinione & causâ, quod maxime illi esset adversum. Quod si reliqua deinceps eodem in libro ab Augustino scripta legissem, profecto de ejus sententia longè secus existimassent; nusquam enim expressiora sunt de gratuita Prædestinatione ad Gloriam ac citra operum præfensionem Augustini testimonia.

Hæc etiam *Petavius*, sententiam de Prædestinatione gratuita non defendens quidem, attamen, quod in antecedentibus ostensum, constanter eam vindicans Augustino. Aliter visum est omnium horum Socio, laudato itidem supra
Iona-

Ignatio der Kennis, qui hoc Augustini testimonium pro sententia de Prædestinatione ex Meritorum prævisione habet pro *irrefragabili*, & quo nullum diceretur eandem exprimat. Indè ad *Bellarmini*, *Suarezii*, *Petavii*, &c., quem hisce immisceat, *Quizii* explicationes, quarum nulla satis ei facit, habere se putat in promptu, quæ objiciat porro & non sine aliquo causæ momento excipiat. Et quidem contra *Bellarminum* ad retractationem Augustini provocantem, quam probabilem putare *Quizium* monet, *Suarezii* & *Vasquezii* responsum adprobat, scribens, locis Augustini diligenter inspectis non adparere speciem veri, &c., tantum abesse, ut retractarit hanc sententiam, ut variis etiam locis *positivè* eam adprobarit, nimirum de Prædestinatione ex meritis. In specie sub initium secundi *retractationum* libri cum adprobare generatim, quæcumque scripserit ad *Simplicianum*. Et cum profiteatur in præfatione ad istos retractationum libros, *se rigidum operum suorum fore Censorem*, idque in aliis præstet minutissimis, credibile non esse, ita oscitanter eum egisse in re gravissima, cujus ibi meminisset. Ita cum in libro de *Prædestinatione Sanctorum* Massilienses remittere ad hos libros, scilicet ad *Simplicianum* scriptos, ut rectè discant sapere de Prædestinatione. Et in libro de *Dono Perseverantiæ* gloriari eum, hæresin Pelagianam à se in hac Quæstione impugnatam ante etiam, quam insurgeret.

1 cit. p. 235.
& seqq.

cap. 4.
c. 30. & 31.

Quia autem *Quizius* putavit, Augustinum in *retractationibus* illud principium negasse, quo fuerat usus in libro ad *Simplicianum*, videlicet, *non posse fieri electionem inter non distantes*, respondet *Ignatius* Antverpiensis, neque hoc esse & videri verosimile, quia in *retractationibus* nec verbo meminisset illius principii, sed tantum retractarit, quod adhuc Presbyter docuerat in expolitione ad Romanos, *Initium fidei posse ex nobis esse, licet non opera Fidem consequentia*. Ex quo quidem sequitur, *addit*, Augustinum ibi & alibi passim ex professo contra Semipelagianos sentire, electionem ad Gratiam, Fidei etiam, inter æquales fieri, nulla distantia inter electum & non electum præsupposita; sed nec adparenter quidem deduci potest, eum retractasse, quod dixerat in libro ad *Simplicianum*, Electionem ad gloriam fieri inter distantes. Nam utraque consistunt optimè, & hanc, videlicet ad Gloriam, requirere distantiam electi à non electo, cum detur Gloria per modum præmii, & illam, videlicet ad Gratiam, fieri inter æquales. Nec verò Augustinus poterat ignorare, eligi posse seu adsumi, ne de nomine fiat quæstio, unum æqualium alio neglecto, sicut unum lignum ad statuam ex eo fabricandam, alio æque apto non adsumto; undè illud principium electionis inter distantes intelligere non potuit, nisi accommodatè ad materiam, de qua sermo fuerat. Ad *Suarezii* inter executionis & intentionis ordinem distinguentis responsum observat *Ignatius*, neque hanc explicationem ullo satis facere modo, *primò*, quia planè sit gratuita, sine ullo fundamento in Augustino, qui horum ordinum meminisset nullquam, sed passim secundum ea, quæ fiunt in tempore, ordinem Divinæ Providentiæ constituerit, & ex eo, quod Gratia in tempore detur gratis, concluderet, ab æterno decretam gratis.

Deinde, quia ordo ille executionis, etsi daretur, nullo modo posset censeri electio ad Gloriam, cum non eligi possint de novo jam ante electi, nec executio electionis ullo sensu bono dici possit electio. *Tertiò* & principaliter, quia ordo ille executionis revera non detur in voluntate aut intellectu, sed tantum in rebus volitis, & videatur satis clarum ex terminis ritè intellectis quia Deus, cum eligat ad Gloriam, dare velit eam, velle autem dare hoc ipsum sit exequi velle, atque voluntatem hanc nulla præcedat alia, siquidem semel (fortè, simul) prima sit, quicumque fingatur ordo. Nam etsi adhuc alia esset voluntas dandi propter merita, illa simpliciter priorem sequeretur, & sic in rebus volitis merita præcederent gloriam; sicut dum quis vult ædificare Domum, ac deinde media eligit, simpliciter & omni bono sensu intentio ædificandi est prior electione mediorum, licet jacere fundamenta, quærere lapides & ligna &c. prævia sint domo tota. De *Quizii* Explicatione, quod scilicet illa præscientia, cujus meminit Augustinus, illa sit, qua DEUS scit, quid Ipse decreverit in nobis facere per Gratiam, ut hæc scientia non tam præsupponat merita, quam causet illa, ita *Ignatius*? Qualiscunque

cunque sit ea, nimirum Præscientia, non refert ad præsens, dummodo ipsa hæc præscientia operum bonorum præcedat electionem ad gloriam. Nam si Justificatio præcedat electionem, ut habent Augustini verba, & Justificationis præscientia ipsam præcedat Justificationem tanquam causa ejus, ergo à fortiori præscientia præcedet Electionem. Tandem, circa *Petavii* sententiam notat, esse eam aut eandem cum *Suarezii*, cujus examen jam præcessit, aut intelligere aliam quandam proprie dictam electionem mediam inter executionem & illam antecedentem primam, addens, *primò*, hanc illa priori positâ planè superfluum esse, præsertim cum doceat, primam non esse à meritis abstrahentem, sed esse voluntatem dandi gloriam propter merita, non prævisa quidem, sed causanda. *Deindè*, nullum habere eam in Augustino fundamentum, *denique*, ipsum loco, ad quem explicandum adhibetur, planè eam repugnare.

Hactenus etiam Antverpiensis *Ignatius* contra proprii ordinis, excepto tantum *Quizio*, socios Doctores, cui nunc addi debet Collator Thomistico-Scholasticus ante jam laudatus, *Franciscus Macedo*, Patavinus Professor, Augustino, uti vult haberi, addictissimus. Is quemadmodum inter eos nomen suum professus est, qui Prædestinationem gratuitam defendunt, ita singulari etiam studio laboravit in eo, ut Augustinum sententiæ hujus fuisse ostenderet, productis decem Documentis è diversis operibus Augustini collectis, quibus indubitanter putat constare, eum pro Prædestinatione gratuita adversus meritum gloriam à non paucis illo jam tempore jactatam militasse, & ita quidem, ut victoria ei debeatur citra contradictionem. Videns autem, hunc locum ex opere ad *Simplicianum* non paucis esse sudem in oculis & impedimentum, quo minus pleno adfensu amplectantur Prædestinationem gratuitam, ideo eum quoque noluit neglectum, ut non suæ etiam mentis sensa super eodem lectori communicaret. Ne autem Bellarmini, *Suarezii*, aliorum, qui vel hunc, vel illum sequuntur, chorda videatur oberrare, aut aliena arare vitula, de nova quadam respondendi ratione fuit sollicitus, ita ut nullus remaneret circa sensum testimonii scrupulus. *Ante omnia observat*, Augustinum in opere illo ita ^{loc. cit. p. 494} processisse disputando, ut videretur pugnare pro libero arbitrio contra Gratiam, donec in fine ejus Gratiam victoriam assignaret; undè legendum accuratè, quid ibi disputet, quidve statuat Augustinus, nimirum, si sit in favorem arbitrii, esse rejiciendum, si verò in favorem Gratiam, esse recipiendum. *Hoc præmissis respondet*, Augustinum ibi ponere discretionem ex distantia, id quod fuerit pro arbitrio; fuisse autem distantiam justificatorum à non justificatis respectu gloriæ, ad quam ab æterno erant electi in præscientia, illi autem minimè, & indè sequi in favorem arbitrii ex meritis fuisse homines electos ad gloriam. Augustinum verò admittente electione ita discretiva ex Justificatione refutasse illationem, *Ergo ex meritis*, recurrendo ad propositum divinum, undè illa manarit Justificatio, & adfirmasse, ex illo proposito Dei gratuito & liberali provenire illam justificatorum electionem, quorum justificatio fuerit gratuita. Itaque non fundari propositum eligendi ac prædestinandi ad gloriam in eâ justificatorum electione, sed potius in electione gratuita antecedente illam, & cujus illa fuerit effectus. Atque hanc Doctrinam esse conformem reliquæ Augustini doctrinæ in aliis operibus, ubi statuat, Electionem primariam fuisse ad gloriam, eamque merè liberalem & gratuitam, & fontem Gratiam & meritum, quæ dona Dei sint. Inde tantum abesse, ut hic locus saveat sententiæ de Prædestinatione ex meritis, ut eam profus evertat. *Quod ubi prolixius ostendit, hæc postmodum subjunxit*, hanc esse veram loci hujus intelligentiam seclusâ omni retractatione & præciso recursum ad ordines intentionis & executionis, quo ipso Bellarmini & *Suarezii* explicationes tanquam inidoneas & insufficientes repudiavit. Num verò hæc responsio *Macedonis* nova sit, & à nullo antehac suppeditata, judicet lector, ubi contulerit diligenter ea, quæ paulò ante *Ignatius* Antverpiensis ad explicationem *Quizii* observavit ejusdem ferè tenoris & sententiæ.

Sufficiant autem hæc, ut ut plurimum labores & meditationes super hoc Augustini testimonio possent adferri, cum ex adductis clare pateat consensus Doctorum Ecclesiæ Romanensis, pluribus hinc indè Elogiis tam insigniter jactatus tam circa hoc caput fidei primarium, à Cathedra Papali nondum, prout fas erat, definitum, sed

sed liberæ partium discussioni permissum, quàm circa Augustini auctoritatem, quam hactenus libimet solis proprium & quasi suum plerique adscripserunt. Videre autem hoc etiam exemplo licet, quàm ferax opinionum variarum & diversarum sit error, ubi à Veritatis tramite semel disceditur, omni enim hac mole explicatum sibi invicem diametraliter oppositarum opus non esset, ac facillimè prolixissimo hoc respondendi & examinandi labore potuissent supersedere Commentatores Scholastici & Controversiarum Tractatores, si ex aliis Augustini locis agnoscerent voluissent, eum docuisse quidem ex Apostoli sententia Prædestinationem gratuitam, sed ordinatam & conditionatam, non absolutam, respiciendo videlicet in oculo Dei eligentis prævisam eligendorum fidem, non quasi ex arbitrii viribus natam, sed tanquam Dei vocantis donum, omnibus quidem in verbo & sacramentis oblatum, sed non ab omnibus susceptum vel perseveranter custoditum. Certè nullum aliud intellexisse Augustinum in vexatissimo hoc loco Præscientiæ Dei eligentis objectum, quàm eligendorum fidem, ex iis constat verbis, quæ suprâ è Commentario in Johannem fuere producta,

Sed, dum semel Doctoribus Papæ contra Evangelicorum non modò, sed ipsius Evangelii in utroque Testamento satis manifestè revelati sententiam placuit, fidem in negotio Justificationis & æternæ Salvationis proscribere, hinc & illi, qui Prædestinationem ex Meritis, & qui Prædestinationem gratuitam defendunt, priores quidem numero majori & potiori ad ceteras hypotheses communiter receptas se accommodantes, posteriores autem suo quoque numero & pondere absolutam Dei voluntatem urgentes, insensos se Fidei hostes exhibent, dum contra tam aperta sacris Codicis testimonia omnem ejus mentionem in Electionis vel Prædestinationis decreto excludunt, exclusi nimirum è numero fidelium, & hinc etiam excludendi è numero salvandorum. Quamvis verò in variis & diversis Bellarmini, *Suarezii*, *Petavii*, *Ignatii Antverpiensis*, *Macedonis Patavini* ad locum Augustini responsionibus varia leguntur, quæ prolixius & accuratius requirere videntur examen, rigorosiorumque mereri censuram, brevitas tamen ratio est habenda, postquam Augustini sententia non amplius videri potest anceps atque dubia, nisi his, qui suis laborant præjudiciis, & ab aliorum autoritate præoccupati sunt, ac ea jam in antecedentibus sunt adducta, quæ observata quemvis non pertinacem, sed rationibus cedentem de Augustini mente possunt facere certum, responsionesque sufficientes ad ea, quæ restant, suppeditare. Hoc tantum loco superpondii nunc addo, etsi *Petavius* loco suprâ citato vaticinatus sit, fore, ut sententia de Prædestinatione ex meritis præ sententia de Prædestinatione gratuita prævaleat posthac, nondum tamen respondere eventum prædictioni, cum præter laudatum *Macedonem* & *Henricum de Noris*, utrumque Patavinum, mentisque Augustinianæ scrutatorem & vindicem studiosissimum, nuper modò ex ordine Dominici pro eadem Prædestinatione gratuita ex Augustino, contra *Vasquezium* præcipuè, steterit & pugnarit *Ioh. Baptista Gonetus*, Antecessor Burdigalensis, in *Clypeo Theologiae Theisticae contra novos ejus impugnatores*, commendatus & adprobatus non solum à sui ordinis Doctoribus hic & ibi viventibus, sed integris etiam Facultatibus & Academicis Universitatibus, quin & ordinis Generali ac Vicario, vix passuris, ut sententia hæc, quæ defendendis hypothesibus ordinis specialioribus non parum videtur inservire, deseratur, sed potius posthac omnibus propugnetur viribus, in nullum Veritatis Evangelicæ, ut ante dixi, præjudicium, si Fidei respectus ob ordinem Divinæ Voluntati placitum admitteretur.

Contra *Norissum* inter alios pro sententia Augustini de Electione gratuita militantem duo noviter insurrexerunt, *Neuserus* & *Risbrochius*, silentio non prætermittendi, ut constet, num Veritati Augustinianæ aliquid ab hac contradictione nova timendum sit periculum. Et quidem *Neuserus* in *Prodromo Velitari* hoc censet malè scriptum à *Norisso*, quod hanc sententiam proposuit quasi *Doctrinam Fidei*, cujus opposita expressè sit damnata ab Ecclesia, ac proinde *heretica*, & quod non parum momenti videtur habere, *Semipelagiana*; de cetero *Neuseri* sententiam minimè damnans, aut ullam ei notam censuræ inurens, quamvis oppositam tenens, sed ut probabilem duntaxat, seu priori præbabi-

T. II. Tr. V.
Disp. II.
p. 21. seqq.
conf. Matt.
Hauz.
Epic. August.
T. II.
p. 363. seqq.

babiliorem, non tamen de fide, addens, nolle se Augustini autoritate teneri, præter ea dogmata, quæ Ecclesia canonizavit, hæc etiam subjunctâ observatione, Prædestinationem quam contra hereticos defendit Augustinus, nihil aliud importare, præter gratuitam gratia preparationem ad credendum & perseverandum, aliæque hujusmodi, cum præscientia, & iteratâ repetitione, Quidquid Augustinus de Prædestinatione certò & indubitanter adstruxit, puta, gratuitam esse Prædestinationem ad gratiam &c. Se ultrò admittere ac promè amplecti; at, quod certò non constat, Augustini esse, in hoc genere, neminem id, nisi temerè, reputare ab Augustino vel damnatum ut hereticum, vel adprobatum, ut Dogma Catholicum. Quin imò tertiâ vice inculcat, A certâ & indubitata Augustini sententia de Prædestinatione nunquam putamus discedendum esse, quâ scilicet DEVS prædestinat ad gratiam, ad initium fidei, ad Perseverantiam, aliæque hujusmodi dona, & nulla prorsus agnoscimus Merita nostra propria, quæ scilicet dona DEI non sint, & non ex gratia CHRISTI profecta, nullam propriam & proximam etiam minimam dispositionem seu preparationem naturalem ad gratiam, nihil demùm, per quod quispiam se discernat, fortè, disponat. Hæc, inquit, tota est Prædestinationis Augustiniana doctrina, quam ipse contra Pelagianos & Semipelagianos ut veram & Catholicam defendit; quâ tamen inactâ, nihil obstat, quin cum tot ac tantis, nimirum sanctis Patribus & Doctoribus, antiquis & recentioribus, citra ullum errandi periculum, electionem ex Meritis ad gloriam adstruamus. Atque ut eat plus ultra, & evincat, Norisum Augustino doctrinam de Prædestinatione gratuitâ ad gloriam sine sufficienti fundamento adscripsisse, ac pro fidei doctrina proposuisse, duo præstanda ab ipso requirit, primò, ut expressa Augustini verba exhibeat, in quibus dicat expressè, electionem scilicet efficacem & absolutam, ad gloriam non ex prævisis esse meritis, nimirum supernaturalibus, sed merè gratuitam esse; deindè ut proferat expressum Canonem vel Definitionem Pontificis Romani ex Cathedrà loquentis, vel Synodi à sede Apostolicâ adprobatae, quâ illa sententia declaretur de fide, & CHRISTI fidelibus credenda proponatur. Hæc Neuserus, quoad autoritatem Augustini de Prædestinatione ad gloriam gratuita, num fide sit tenenda, an probabiliter tantum amplectenda. Eum infecutus proximè Ritsbrochius aliquantò mitius cum Noriso in hoc quidem Puncto egissit voluit videri, adfirmante, Augustinum docuisse, Prædestinationem ante omnia prævisa Merita, & Naturæ & Gratia, ex merè liberalitate & Misericordia DEI factam esse, & absolutum statuisse Decretum, quod DEI constitutum vulgò dicebatur; addens, eam rectè in hoc sentire, quidquid alii contradicant. Neque potuit aliter scribere Ritsbrochius si modò sub hoc nomine latitat Franciscus Macedo, quod non planè nulli volunt, nisi hec ut ontimorum enim se orbi literato sistere voluit, propter ea, quæ ex ejus Collationibus Thomistico-Scoticis in ipsâ hujus Controversiæ prolixiori contra Bellarminum tractatione paulò ante sunt adducta, inque ipso Collationum opere prolixius possunt evolvi. Verùm, ita progreditur Anti Norisus hic larvatus, quod addit, hanc Doctrinam pro dogmate de fide habendam, in eo aberrat à Veritate. Persuasit quidem sibi, contrariam esse Semipelagianam, sed graviter in hoc etiam lapsus est ex incogitantia, sive impetu & animi estu, quo ferebatur in adversarios, qui adfectus mentem obscuravit. Et postquam plures Scholasticorum recensuit, docentes, Prædestinationem fuisse factam post prævisa Gratia Merita, & homines prius fuisse prædestinatos ad gratiam, quàm ad gloriam, inprimis omnium, uti vocat, principem Vasquezium, hanc sententiam summa vi & rationum & autoritatum proponentem & munientem, imò contendentem, Augustinum hujus esse authorem; subjunxit, Quare non debuit Noris primam Augustini sententiam de Prædestinatione ad gloriam ante merita pro dogmate fidei proponere. Aliis iterùm interpositis finit hanc Censuram verbis sequentibus, Non est igitur de fide constitutum Augustini de Prædestinatione ad gloriam nullis meritis prævisis, neque naturæ, neque gratiæ, sed solum quoad illam partem, quâ excludit merita naturæ; quoad alteram verò partem, quæ excludit merita gratiæ, est tantum probabilis. Nihil enim interest quoad Doctrinam de Fide, fueritne independens Prædestinatio à meritis ex gratia, an ab illa dependens, cum semper fundetur in gratia exclusis naturæ meritis. Vtræque sententia tuta est & Catholica. Ita Ritsbrochius etiam, conveniens cum Neusero, quod negat, alterutram sententiarum esse de fide, & alteram de Prædestinatione meritoria esse Semipelagianam; dissentiens autem ab eo, quod agnoscit, sententiam de prædestinatione gratuitâ esse Augustini.

pag. 239.
& seqq.

gustini. Neuter hic etiam acu rem tetigit, consultius facturi, si intactam reliquissent in Examine Norisano, nec auctoritatem Augustini hic vocassent in dubium, quasi Ecclesiæ causam contra Pelagianos pariter & Semipelagianos in hoc fidei puncto non ita egisset, ut ejus vestigia premere, non dico, liceret, sed oporteret. Quid autem opus fuit novo Synodali Decreto, postquam Augustinus hoc negotium ex auctoritate scripturæ ita confectum dedit, ut jure nihil amplius posset desiderari. Nam, quod Scholastici hanc novam litis indebitæ & minus necessariæ materiam esse voluerunt, nullum veritati creat præjudicium; ac agnoscunt Pontifices Romani in eo quoque animi & judicii deliquium, quia hæcenus suam, quam aliàs prætendunt, decidendi summam auctoritatem inter partes tam acriter litigantes interponere non sunt ausi. Absurdum est præterea, utramque sententiam, quarum una negat, altera verò affirmat, esse veram & Catholicam, iis etiam agnitis hanc absurditatem, qui logicæ tantum naturalis subsidio, quid contradictoriè sint opposita, didicerunt. Cætera, quæ merentur censuram in utraq; hæc Censurâ, ex antedictis habent responsum.

CAPUT DECIMUM & SEXTUM,

De

Reprobatione.

DE eâ sequentem format Propositionem Bellarminus', *Reprobatio, quam Augustinus prædestinationem ad interitum vocat, duas comprehendit actus, unum negativum, cujus nulla est causa ex parte hominum, alterum verò positivum, cujus causa est peccati originalis actualisve prævisio.* Ad hujus Propositionis enucleationem observat, etiam si Reprobatio ab Augustino nominetur *Prædestinatio ad interitum*, usum tamen Scholarum obtinuisse jam, ut non dicantur prædestinati, nisi qui ad gloriam sunt electi, & verè in scripturis non inveniri hoc nomen, nisi in partem bonam; Theologos autem solere reprobos vocare *præfatos*, non quod hoc nomen eis non sit commune cum electis, sed reliquisse eis nomen commune, ut ab iis distinguerent, qui propriè dici mereantur *prædestinati*. Post in uberiori explicatione ejusdem, ubi negativum, id est, priorem actum in reprobatione impiorum ostendere laborat è nomo Epistolæ Pauli ad Romanos capite, quod partim Esavi odium, partim Pharaonis indurationem describit, hanc subjungit observationem, vocabula, quæ sonant aliquid positivum, ut odio habere & indurare, accipienda esse pro negatione. Nam odio habere hoc loco esse, non deligere velle, & indurare ibidem esse, non misereri velle, idque ex doctrinâ Augustini, cujus tria citantur in hanc rem loca. Huic expositioni duas opponit ex aliorum mente objectiones quibus ex arte studet satisfacere. *Prior est*, Induratio est pœna peccati, uti patet è primo capite ejusdem Epistolæ ad Romanos & Augustini opere ad Julianum; non igitur ex sola DEI voluntate oritur. *Bellarminus respondet*, Induratio utrumque habet, nam & est pœna peccati præcedentis, quatenus alicui negat auxilium & gratiam DEUS, quia propter peccata præcedentia dignus est tali desertione; & tamen est simul effectus negativæ hujus reprobationis. DEUS enim, quia non vult eum salvare, tali desertione peccatum ejus antecedens, quod non faceret, si eum salvare decerneret; atque ideo Apostolus ad DEI voluntatem recurrit, cum ait, cujus vult miseretur, & quem vult indurat, nec tamen ulla est hæc in re iniquitas, quoniam non tenetur DEUS peccatorem liberare, aut emollire eum ac convertere. *Posterior objectio hæc est*, Quamvis odio habere & indurare possint exponi per negationem, tamen vasa facere in contumeliam non videtur accipi posse, nisi positivè. Quomodo igitur Apostolus hoc etiam revocat ad voluntatem DEI, cum dicit, Annon figulus habet potestatem luti, vas aliud in honorem facere, aliud in contumeliam? *Bellarminus respondet*, facere vasa in contumeliam, potest accipi modis duobus, uno pro eo, quod est facere vasa, qualia requirit conditio massæ, & ea sic relinquere hoc est, formare homines, quales natura requirit & corrupta, nec aliquid ad-

Enchir. ad
Lan. cap.
100.

lib. V. c. 3.

dere ; & hoc sonat aliquid negativi , & pertinet ad priorem reprobationis actum , & hoc modo loquitur Apostolus . Altero autem modo potest accipi , facere vasa in contumeliam , pro eo , quod est , deputare illa ad contumeliam , id est , ad aeternam confusionem ; & hoc pertinet ad posteriorem reprobationis actum , & hoc modo intellexit , facere vasa in contumeliam Augustinus , verbis paulò post è centesima & sexta ad Paulinum Epistolâ citandis . Ea inter pro reprobatione negativâ ex Epistolâ ad Sixtum antecedente , videlicet quinta post centissimam , Bellarminus sequentia adducit Augustini verba : *Cur hunc potius liberet , aut non liberet , quàm illum , scrutetur , qui potest , iudiciorum ejus profundum tam magnum , veruntamen caveat precipitum .* Ubi vides , inquit Bellarminus , non solum non posse sciri causam , cur hunc aut illum liberet , sed etiam cur hunc aut illum non liberet ? Addit alium ex opere de *Correptione & Gratia* locum , in quo docere dicit Augustinum , *referendum esse inter occulta DEI judicia , cur DEVS quibusdam justificatis donum Perseverantiae nolit dare ?* Non enim , inquit , ista negatio doni perseverantiae poena peccati potest dici , cum justificati talem non mereantur poenam ; ac per hoc non est poena , sed effectus reprobationis negativæ . Sequitur reprobatio positiva , ad cujus demonstrationem triplici utitur testimonio Augustini . Primum est ex opere adversus Julianum , ubi sequentia leguntur : *Bonus est DEVS , Iustus est DEVS . Potest sine bonis meritis liberare , quia bonus est ; non potest sine malis meritis damnare , quia iustus est .* Secundum est ex Epistolâ ad Paulinum paulò ante laudata : *Hec massa , si ita esset media , ut quemadmodum nihil boni , ita nec mali quid mereretur , non frustra videretur iniquitas , ut ex eâ fierent vasa in contumeliam . Cum vero per liberum primi hominis arbitrium universa defluerit in condemnationem , procul dubio , quod ex eâ sunt vasa in honorem , non ipsius Iustitiae , quam nulla præcessit gratia sed DEI Misericordiae ; quod verò in contumeliam , non DEI iniquitati , quæ absit , ut sit apud DEVM , sed iudicio deputandum est .* Tertium est ex opere de gratia & libero Arbitrio : *DEVS reddit mala pro malis , quia Iustus est ; bona pro malis , quia bonus est ; bona pro bonis , quia bonus & iustus est . Solum non reddit mala pro bonis , quia iniustus non est .* Post hæc ea in Propositione Augustini testimoniis confirmare nititur , per quæ reprobationis causam indicavit esse prævisionem peccati originalis vel actualis , quia videlicet non omnes reprobet DEVS positivè propter originale peccatum , cum illud verè non nullis (etiam) reprobis per Baptismi Gratiam remittatur , sed alios propter originale tantum , ut parvulos non baptizatos alios propter actuale tantum , ut baptizatos adultos , alios propter utrumquæ , ut infideles adultos , factâ provocatione ad Augustini opus de *Correptione & Gratia* , sequenti etiam observatione additâ : *Quod si Augustinus ut plurimum reprobationis causam referre videretur ad originale peccatum , ratione opus totum genus humanum est factum quasi massa quædam damnata , propterea id facit , quoniam inde omnium reprobatorum incipit damnatio .* Tamen enim aliqui eruantur ex massa per Baptismum , & transferuntur ad ædificium , ut ipse etiam Augustinus scribit ; iterum revertuntur tamen ad massam per actuale peccatum , & ideo sic à DEO habentur , quasi nunquam ab eâ fuissent separati . Quare idem Augustinus in libro de *Correptione & Gratia* dicit , eos , qui tandem sunt perituri , quamvis rectè pieque vivant , non esse à massa damnationis præsentia DEI & prædestinatione secretos , non quod eos tunc oderit & damnare velit DEVS , cum rectè pieque vivunt , sed quia illos non eligit ad regnum ante mundi constitutionem , & præcivit ante finem vitæ relapsuros ad massam , & propter peccata , quæ vidit eos procul dubio commissuros , damnare decrevit ad poenas .

Hæc Bellarminus ad confirmandum discrimen reprobationis negativæ & positivæ , cujus Examen ante-quàm sulcipiatur , notari debet , eodem circiter tempore , quo Bellarminus in *Tusculano* hos tractavit Controversias , in Germania circa easdem discutiendas fuisse occupatum Ingolstadtii *Gregorium de Valentia* , aliàs & quidem rectius *Fallentia* , in hæc autem Bellarmino non per omnia consentientem , quod paucis indicare , quantum attinet Augustini auctoritatem , non præter rem erit & institutum . Postquam igitur reprobationis actum statuit esse duplicem , Divini nimirum intellectus & voluntatis , addito etiam duplici ejusdem effecti ,

effectu, permissione videlicet peccati & aeternâ reprobatione, ad causas progressus, rejectâ Lombardi, Durandi, Gregorii Ariminensis, Marsilii, Capreoli, Ferrariensis, Cajetani, Bannesii sententia, docentium, nullam esse causam reprobationis ex parte reprobi quoad omnes reprobationis effectus, alteram in se suscepit defendendam, quâ adferitur, peccata, cum quibus è vita decedit reprobis, causam esse reprobationis meritoriam, non modò quoad ultimum ejus effectum, aeternam videlicet punitionem, quod certum esse debere scripsit, sed etiam quoad primum, id est, permissionem peccati. *Addit*, se hanc sententiam sibi persuadere imprimis ex mente *Aguinatis*, quod ad supplementum vindictiarum Anti-Thomisticarum pertinet; esseque eandem *Henrici Gandavensis*, *Bonaventurae*, *Herueti*, *Gabrielis*, *occami*, & ex numero recentiorum *Johannis Eckii*, alios plures pro eâ citantis, & memorante *Bannelio* aliorum quorundam, & quod præcipuum sit, ipsius etiam *Augustini*. Hujus autoritate utitur *Valentia* prolixissimè & copiosè satis. In antecessum notari debet testimonium, quo Apostoli tractationem è capite nono Epistolæ ad Romanos de Esavi odio explicari ab Augustino observat verbis plurimam in hoc negotio emphasin continentibus: *Non DEVS Esau hominem odii, sed peccatorem.* Ad ipsam verò testimoniorum seriem ubi se accingit, monet Augustinum, uti passim hortatus sit prædestinationis ad agnoscendam gratiam sine meritis sibi factam, ita etiam reprobos hortatum esse ad agnoscendam Justitiam, quâ propter ipsorum peccata merito sint reprobat; ac nominatim adfirmare eum sæpè, ipsius *primi effectus reprobationis, subtractionis nimirum Gratiae peculiaris sive indurationis, causam esse reprobi peccata.*

lib. 1. ad
Simplic.
Qu. 2.

Et post plura è pluribus Augustini scriptis testimonia, quæ prolixius repetere brevitas ratio vetat, iteratò inculcat, *Augustinum* docuisse, DEUM sic facere ab aeterno constituisse, sicut in tempore facit, & adscriptisse reprobationis effectum peccatis reproborum, hincque dubium esse non debere, quin ex ejus sententia Deus ab aeterno reproberit propter peccata. Quoad posteriorem verò Propositionis Bellarminianam partem ita porrò *Valentia*: Cum alias Augustinus videtur significare, causam reprobationis in omnibus, qui reprobandi, esse peccatum originis, non vult illud solum esse in omnibus causam reprobationis proximam quoad ejusdem omnes effectus, siquidem constat, multis reprobatorum illud remitti, & multos propter alia etiam peccata actualia damnari sed significat, peccatum originis esse velut causam quandam remotam & occasionalem & communem reprobationis omnium, quatenus nimirum illud præcessit in reprobandis omnibus. *Neque obstat*, quod peccatores, qui reprobandi, Augustinus vocat massam quandam corruptam ob Adæ peccatum; nam ad hanc massam eos etiam, qui actualibus peccatis sunt obstricti, intelligit pertinere. Et quia prioris sententia defensores itidem Augustini autoritatem ostentare dixit, loco non uno negantis, *demerita Esavi fuisse causam reprobationis*, idè hoc adposuit Responsum, statuens, Augustinum negare solum, Prædestinationem & reprobationem conjunctim fieri propter hominum merita & demerita, item velle, reprobi demerita non esse causam, cur ipse potius, quàm alter, in quò etiam erant demerita, reproberetur, minime autem negare, causam esse in reprobis, cur ipsi reproberentur absolute, sed id potius adfirmare.

T. 11. 9.
c. 9. p. 613.

Ita contra Bellarminum & ejus adseclas *Valentia*, Augustinum à partibus non solum reprobationis negativæ, sed positivæ etiam quoad respectum originalis peccati retrahens, & causæ ejusdem meritoria, peccatis videlicet actualibus ipsam reprobationem adscribentibus restituens. Post hunc inter recentiores iterum nominandus venit *Petavius*, Bellarmini & *Valentia* in eodem ordine Socius, de hoc duplicis reprobationis discrimine, quod Theologorum vulgo adscribit, notanter observans, quosdam recentiores reperisse illud à *Marcione* introductum, à *Tertulliano* autem quarto contra ipsum libro rejectum, addito, *illam reprobationis distinctionem prorsus alienam esse ab Augustini Doctrina*, quam *Petavius* tamen ratione peccati originalis aliter explicat, quam *Valentia* propior Evangelicorum sententiæ, dum è contrario *Petavius* sententiæ Bellarmini propius accedere, & non nisi in verbis ab eadem secedere videatur; qui tamen in sequentibus sibi met ipsi contrarium scripsit, dum singulari studio & operâ conatus est evincere, *Calvini* de Prædestinatione ac reprobatione sententiam

sententiam eandem cum Augustiniana falso à plerisque jactari, inter quos numerat Catholicos quosdam, homines ceteroqui non indoctos, sed in Calvini lectione & ejus interiore Doctrina minus exercitatos. Huc referri debet scriptor ille Gallus, nomine *Johannes Adamus*, contra quem & paucos quosdam alios laudatus non semel hætenus Professor Patavinus, *Henricus de Noris* scripsit non ita pridem *Vindicias Augustinianas*, hoc inter alia in se suscipiens defendendum, Augustinum non errasse adserendo, *originale peccatum esse causam reprobationis*, hæc observatione subjunctâ contra sententiæ Augustinianæ perversores, certam Augustino sententiam statuisse, reprobationem supponere necessario peccatum, *saltem originale*, quam post adducta aliquot ex ejus scriptis testimonia sequentibus confirmavit verbis, fixa constantique Augustini sententiæ fuit hæc, neminem à DEO ante prævisionem peccati, *saltem originalis reprobari*, dum Calvinus in contrariam prorsus partem iverit docens, DEUM suo decreto homines non solum reprobare ante prævisionem eorum peccatum, verum etiam ex Divinâ reprobatione fieri hominum peccata, Calvinique sententiæ esse DEUM suo immutabili decreto homines ad peccata impellere, unde reprobatio DEI antecedit prævisionem peccatorum, utpotè quæ sint effectus reprobationis ipsius. Et sicuti in antecedenti Quæstione hic Vindex Augustinianus provocavit ad præscriptum *Claudii Aquavivæ*, ita monet, ab eodem Theologos Societatis jussos esse Augustini sententiæ de reprobatione ex originali peccato ortam defendere, & in libro de ratione studiorum Romæ post annuam sex Doctorum Societatis disputationem ac Examen longissimum impresso & universis proposito, ut regula docendi & discendi esset, ejusque titulo de opinionum delectu hanc Propositionem universæ Societatis Scholæ tradendam fuisse commendatam. *Non solum ex parte nostrâ nulla fuit ratio seu conditio Prædestinationis, sed neque absolute dicendum est, esse in potestate nostrâ, ut prædestinemur, nec salvi fiant ulli, nisi prædestinati.* Et, *Reprobationis, qua ceteri homines excidere ab ultimo sine sunt permisi, causa fuit originale peccatum.* Addit post plura ad hujus sententiæ explicationem pertinentia, concedere Augustinum, *homines damnari ob peccata actualia* adeoque non originale solum, eo nimirum sensu, quem *Valentia* paulò ante indicavit.

Sed videamus *Francisci* quoque *Macedonis* super hæc Controversiâ sententiam, utpotè qui semper aliquid novi vult videri observasse. Non improbat is quidem reprobationis dupliciteratem, sed aliter explicat eam ex Augustino, quam *Bellarminus*. Dicit, Reprobationem in communi sententiâ, ac imprimis in Scholâ Scoticâ, quæ itidem sit Augustinianæ, duplicem esse, & hoc se animadvertere, quia Augustinus in omnibus ferme de Gratia operibus posuerit Prædestinationem & Reprobationem supposito originali peccato. Et postquam ex instituto Thomæ & Scoti hæc de Controversiâ opiniones inter se conferre cœpit, sequentia adjecit: Hanc duplicem reprobationem, unam negativam derelictionis in massa damnata ob peccatum originale, & alteram positivam ex peccato finali, sive originali in parvulis, sive actuali in adultis, *admittunt omnes ferme Theologi duce Augustino.* Iisdem reminis quidem utitur, quibus *Bellarminum* vidimus usum, sed aliter intellectis & ex Augustino explicatis. Addit, sed contra *Valentiam* & *Petarum*, imò contra sententiæ Augustini, Augustinum in omnibus ferme suis de Gratia & Prædestinatione operibus primam docere, de secundâ verò rem esse minus exploratam & minus ab Authoribus tractatam, adeoque suæ reservatam diligentie. Hinc operosus est in citandis ex eo testimoniis, quibus ostendit Augustinum adstruere reprobationem positivam *ob prævisa finalia peccata adultorum*, illisque ex non uno opere adductis subjungit, id constare generatim, nunquam apud Augustinum reperiri mentionem damnationis sine causa peccati præcedentis, hæc observatione additâ, eo se animo Augustinum legisse, ut sicubi reperire posset testimonium in oppositum, illud adlegaret, & fateri, se non potuisse quisquam reperire, quod indicet, posse DEVM punire quemquam innocentem, imò Augustinum hæc in re semper perspicue & constanter tenuisse, *penam sequi culpam*, alioquin Injustitiam commissum iri à DEO damnante innocentem ad penam. Unde, ita scribit porro, eos minari soleo Authores, qui dicunt, quemadmodum DEUS homines quosdam sine causâ prædestinavit, ita & alios sine causâ ex parte ipsorum pro lubitu suo reprobrasse

probasse *vel negative, vel positive*; & multò magis miror esse, qui velint imponere Augustino, sentire eum, posse *DEVM aeterna pena aliquem innocentem de absolutà suà potentia addicere.*

Accedat his tandem *Gonettus*, qui ex instituto ordinis sui negativam cum Bellarmino reprobationem defendit quidem, & tamen fateri cogitur juxta doctrinam Augustini *primam reprobationis causam fuisse peccatum originale*, quod quomodo ad veritatis analogiam possit & debeat intelligi, *Valentia* jam ostendit. His si addantur, quæ in *Vindiciis Anti Thomisticis* ex aliis authoribus sunt adducta, nihil desiderabitur ad plenariam rationum pro reprobatione negativa sensu Bellarminiano acceptâ ex Augustino resolutionem.

Tom. II.
Tract. V.
Disp. V.
pag. 83.

CAPUT DECIMUM & SEPTIMUM,

De

Angelorum electione & Reprobatione.

Bellarminus hanc de utrâque Lectori exhibet Propositionem: *Quamvis Angeli quoque sancti gratis predestinati sint ad vitam, Angeli vero mali partim ex solâ DEI voluntate, partim ob prævisa peccata reprobati; divitiæ tamen Gratia & Iustitia DEI magis ostenduntur in electione & reprobatione hominum, quam Angelorum.* Ad priorem prioris membri partem confirmandam refert Apostoli verba, quibus Angelos vocavit *electos*, addito sequenti testimonio Augustini ex Enchiridio ad Laurentium defuncto: *Hec sunt opera Domini magna, exquisita in omnes ejus voluntates, & tam sapienter exquisita, ut, cum Angelica & humana peccasset natura, id est, non quod ille, sed quod ipsa voluit, fecisset, etiam per eandem Creaturae voluntatem, quâ factum est, quod Creator noluit, impleti ipse, quod voluit, bene utens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos justè predestinavit ad penam, & ad eorum salutem, quos benigne predestinavit ad Gratiâ.*

1. Tim. 5.

c. 100.

Et quia idem Augustinus in retractationibus docuit, *homines fuisse predestinandos, etiamsi Adamus non peccasset*, existimat Bellarminus, sine dubio eandem esse de Angelis rationem. Quoad posteriorem verò membri prioris partem ita mentem suam Bellarminus exponit, ut iterum ad Augustini provocet auctoritatem, scribentis in opere de Civitate DEI: *Aut minorem acceperunt Amoris Divini gratiam, Angeli nimirum lapsi, quam illi, qui in eadem perseverarunt; aut si utrique boni aequaliter sunt creati, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt.* Et alibi in libro de Correctione & Gratia scribere cum dicit, *DEVM in Angelis prius ostendere voluisse, quid posset liberum eorum arbitrium, deinde, quid posset sua gratia beneficium Iustitiæque judicium;* quo putat aperte Augustinum significare, ad gratiæ beneficium pertinere beatitudinem Angelorum bonorum, quoniam gratis ad eam sint electi, & inde Donum Perseverantiæ acceperint, quod non acceperint Angeli mali, qui non perseverarunt, & justo DEI judicio in æternum corrunt exitium. Denique addit, *Angelis electis DEUS non aliam dedit Gratiâ, nisi habitualem quâ fieret, ut perseverare possent, si vellent; non autem dedit gratiâ excitantem illam, quâ fieret, ut vellent, sed ut vellent, in eorum libero reliquit arbitrio, ut Augustinus docet in eodem opere de Correctione & gratia.*

lib. 1. c. 13.

1. II. c. 9.

c. 10.

c. 11. & 12.

cap. 12.
& seqq.

Iansenio Yprensi sicuti circa hoc negotium plura à Bellarmino scripta non placent, ita in his etiam ultimis, aperte satis suum testatus est dissentium. Hinc secundo Augustini sui Tomo, uti de gratia primi hominis & Angelorum libro singulari agit prolixissimè, contra hanc Bellarmini Doctrinam, quam *Molina* & *Lessi* etiam esse, in margine observat, sequentia scripsit: *Quemadmodum verum est, veræ gratiæ adjutorium Adamo & Angelis fuisse necessarium, juxta Augustini & Eccle.*

& Ecclesie doctrinam; ita similiter certum est, illud adiutorium ab habituali gratia & cooperatione illa communi seu Gratia concomitante distinctam esse.

Et ubi hoc ex Augustino prolixius ostendere laboravit, necessitatem videlicet adiutorii in Adamo & Angelis ante lapsum, inter alia hæc adduxit ejus verba ex libro de Correptione & gratia: *Si hoc adiutorium eis defuisset, non utique sua cecidissent culpa.* Causa hac adjecta, *Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent;* quibus perspicue putat eum significasse, aliquid ipsi potentia istius adiutorii subtractione defuturum fuisse. Post plura Examen duorum Augustini locorum ex opere de Civitate Dei & de Correptione à Bellarmino laudatorum adgreditur, ad posteriorem contra *Suarezium*, quem eo etiam abuti notat in margine, scribens, Augustinum digito quasi ostendere fontem, unde diversitas gratia, quæ primùm Angelis & Adamo deinde potentior hominibus lapsis data sit, nascatur. *Inter alia hæc habet ad mentem Augustini uberius explicandam.* Adamo & Angelis tanquam fortissima libertate præditis, quæ instar bilancis in æquilibrio collocata nullo deorsum pondere gravabatur, dandum erat gratia adiutorium; cum quæ seiplos possent, & sine quæ non possent in Iustitia conservare, si vellent, &c. *Circa priorem locum observavit,* doctrinam, quam ibi tradit Augustinus, à re proposita esse remotissimam, neque ad præsentem torqueti posse Disputationem sine absurditate. Id ut à fundamentis intelligatur, *sciendum esse monet,* Augustinum aliquando se mirum in modum torfisse, qui factum fuerit, ut, cum Angeli omnes non modo in bonâ voluntate, sive in charitate Dei, sed etiam sapientes & beati sint cõditi, alii tamen de sua beatitudine perpetuâ certi sint; sicut Angelos sanctos esse certissimos Fides credit, alii (è contrario) illius perpetuitatis; imò & sui casus & permanisionis fuerint incerti. *Addit,* causam difficultatis hanc fuisse, quod impossibile videretur esse, ut aliquis verè sit beatus, si beatitudinem illam aliquando desituram esse sciat, vel non desituram existimando fallatur; vel utrumque nesciendo sit suspensus; cum & scientes timor, & ita nescientes error, & hæsitantes ipsa de tantâ felicitate cunctatio bene beatos esse non sinat. *Subjungit,* beatos esse sanctos Angelos cum præscientia perpetuæ permanisionis suæ credimus; tales autem fuisse Dæmones ante casum suum credi non potest.

Et tamen aliquam eos habuisse beatitudinem, sui casus & permanisionis incertam, creditur rectissime. Unde igitur ista istius præscientiæ & ignorantia in utriusque diversitas? An ex diverso Creationis aut Justificationis beneficio? an ex merito? an fortè, ut olim Dæmones; ita nunc angeli sancti adhuc suæ permanisionis sunt ignari? Quæstio hæc ab Augustino scrupulosissime & prolixissime libro de *Genesi ad literam* undecimo propter Manichæos fuit disputata, ubi tandem, cum illius angustiis coarctatus expedire se non posset, post disputationem prolixissimam in quadripartito rem reliquit indecisam. Sed quod de se adversus Pelagianos de Gratia DEI scribente profiteretur in libro de Bonâ Perseverantia; *Proficienter me existimo miserante DEO scripsisse, non tamen capisse à perfectione;* hoc in istâ etiam Quæstione habuit locum. Nam aliquot post illam Disputationem annis iterum sibi eandem proposuit Quæstionem; & adductis utrinque argumentis (de eâ) disseruit in opere de *Civitate DEI.* Sed tandem, cum istud sibi certum jecisset fundamentum, Angelos sanctos jam esse certissimos æternæ felicitatis suæ, malos autem antequam cecidissent, istius permanisionis & perpetuitatis suæ incertos fuisse, ad duo duntaxat membra suam redegit fluctuationem; ut videlicet vel inæquales in Gratia & Beatitudine ac permanisionis præscientia ab initio fuerint constituti; aut si æquales, ista plenitudo Beatitudinis & præscientia bonis post casum Dæmonum velut præmium permanisionis adveniret. Sub finem vitæ autem omnis dubitationis incertitudine remotâ definitam sapius tulit pro parte postremâ, tanquam pro certâ veritate sententiam, in libro de *Correptione & Gratia*, idque non semel, sed repetens aliquoties, non alia de causâ; ut arbitror, nisi ut accuratè ac definite ante finem vitæ traderet posteris, quid de Quæstionis istius perplexitate;

tate, quæ cum torserat tantopere, esset sentiendum. *Concludit*, ex his plenissime potest intelligi, quid Augustinus velit illo in loco, qui ex libris de *Civitate Dei* est objectus. Nimirum, eam in hac *Questione* vacillationem voluit consignatam, ut videlicet Angeli, qui ceciderunt, aut in impari Amoris Divini gratia fuerint collocati, per quam fieret, ut alii suæ permanſionis ignari fuerint, alii verò certi; vel, si in eâ fuerunt pares, illi suâ exciderint libertate, hi permanſerint, & in permanſionis istius præmium amplius adjuti præſcientiam nunquam futuri casus sui acceperint. Quo sensu manifestum est, ita verba ad propositum nihil penitus pertinere; loquuntur enim de adiutorio, quod per ipsam felicitatem æternam illâ permanſione promeritam eis fuit datum, non de illo, quod eos faceret perseverare, & ad illam beatitudinis plenitudinem pervenire.

Hæc *Yprenſis Iansenii* de mente Augustini quamvis legit *Petavius*, tamen in gratiam Bellarmini non refutavit, ut pleraque alia à *Iansenio* scripta, etſi verborum

T. III. l. i.
de Angel.
c. ult.

Augustini novam proponens explicationem, sequentibus expressam. *Mihi videtur* Augustinus non præcisè de supremo felicitatis gradu intelligendus, qui in aspectu Dei situs est, sed communi & confusâ motione beatitudinem usurpasse pro vitæ genere læto & tranquillo ac omnibus bonis adfluente, sive cum Dei jungatur intuitu, sive nondum eò pervenerit; quippè primis hominibus beatitudinem similiter adtribuit, quos plene beatos constat minime fuisse, etſi, quia doloris ac sollicitudinis omnis expectem in summâ voluptate ac bonâ Dei gratia ætatem agebant, nominentur beati, & sic Diabolum initio beatum ob solam, quâ cum conditus est,

T. II. Tr. 7.
Disp. 12.
§. 13. &
ſeqq.

Aliam post hunc viam in explicanda Augustini dubitatione ingressus est *Gonetus*, scribens, per participationem lucis & claritatis æternæ, quam Angelis à principio adſcribit Augustinus, non intelligi claram Dei visionem, sed eminentem quandam cognitionem (DEI) supernaturalem à lumine Fidei vel Doni sapientiæ procedentem, quam ab initio creationis habuerint, & cum docet, omnes Angelos à principio habuisse cognitionem matutinam, per eam intelligi cognitionem rerum naturalem in verbo per ejus similitudinem in natura ipsius Angeli relucentem. In sequentibus contra *Iansenium* & alios quosdam recentiores, quos tamen nominatenus non exprimit, ex his Augustini verbis, quæ plerique videntur dubia, colligit, totam discretionem Angelorum perseverantium à non perseverantibus in Deum refundi, à quo illi in Gratia & Charitate perseverantes amplius sint adjuti. Et iterum post aliqua, ad similem ex eodem opere locum respiciens, quo omnibus Angelis æqualem ab initio felicitatem adſcribere videtur Augustinus, observat, intelligendum esse de æqualitate felicitatis secundum proportionem Geometricam, non Arithmeticam, & velle solum, Angelos fuisse creatos uniformes, hoc est, ab initio omnes fuisse creatos in Gratia & Beatitudine naturali cum diversitate tamen & inæqualitate tum in naturalibus, tum in supernaturalibus.

T. II. Col.
la c. 4.
p. 190.

Verum præter hæc responſum *Franciscus Macedo* itidem aliò inclinat, ad suum, quem ex ordinis debito sequitur, *Scotus* respiciens, quem contra alios existimat sentire, tantum Gratia actualis auxilium Angelos in prima Gratia largitione à Deo accepisse, eaque cum mali essent abuti, omni alia caruisse Gratia, & Angeli contra boni cum recte fuissent uſi, ulteriorem Gratiam, & efficacem, & perseverantem, & justificantem recepisse, idque Augustini auctoritate, quem post densam disputationem ostendit docuisse, Angelum malum non fuisse conditum in Justitia, nec in Charitate, ad quam non potuerit accedere propter culpam libera voluntate suâ commissam; fuisse creatum naturâ bonum, & bene operari potuisse, noluisse autem, & quod noluit, peccasse atque ab illo statu, in quo fuerat à Deo creatus, cecidisse.

Et ubi verba, quæ videntur huc pertinere, citavit, iis hoc Augustinum significasse monet, Diabolum non amisisse, quod accepit, sed quod accipere potuisset, ex quo manifestè putat adparere, eum non accepisse Gratiam sanctificantem juxta Augustinum, quia tunc perdidisset, quod acceperat. Addit, hunc sine dubio locum esse, videlicet ex opere de *Genesi ad literam*, quem *Iansenius* etiam attendit, quo nixus Angelos in Gratia sanctificante creatos fuisse negavit *Scotus*, non tamen negavit omnem aliam, scilicet adjutantem Gratiam, quâ possent operari rectè, si velint Augustino quoque eam concedente. Tandem. Conſentit ergo *Scotus* Auct.

ius Augustino, habitualem gratiam negando, concedendo actualem, cum Donis scientiæ & excellentiæ naturalis, quæ summa fuerunt in Lucifero & perfectissima, ac juxta eum in pluribus (cur non omnibus?) eorum, qui cum eo ceciderunt. *Sequitur Epicurifis.* Media igitur via incedit *Scotus*, neque concedendo Angelis gratiam sanctificantem & annexa ei Dona supernaturalia, nec omnino negando Gratiam, cum concedat actualem excitantem & adjuvantem, id est, auxilia ad bene operandum, si veller, & merendum Gratiam ulteriorem & efficacem, & sanctificantem, in quo, meo iudicio, cum Augustino consentit, quem ego istius sententiæ authorem iudico, & hoc duce medio tutissimus ibis.

Hactenus de Augustini sententia diversi diversimodè, imò etiam contradictoriè, quod iterum præbet specimen egregium Concordiæ discordis, non solum quoad ipsam Quæstionem controversam, sed etiam quoad mentem ipsius Augustini. Nostrum uti hæcenus, ita nunc & in posterum non est, inter Fratres Cadmæos agere partes mediatorias, sententiasque, quas dixi utroque respectu contradictorias, conciliare. Satis erit indicasse breviter & quasi digito ostendisse ea, quæ in veritate & Augustini sententiæ præiudicium aliquod vergere videntur. *Et in genere* quidem moneri necessum est, inexcusabilem esse audaciam & inauditam antehac temeritatem, de statu Angelorum non duce scripturâ certi aliquid statuere, cum videretur omni ex parte tutissimum, ea, quæ Deus non sine gravi causa nos voluit nescire in hoc imperfectionis statu, futuræ indagini & scrutinio accuratiori referre. Major adhuc & multò inexcusabilior est temeritas, ea fingere, & quasi certa de hoc statu venditare, quæ voluntati Divinæ sufficienter revelatæ contrariuntur, & Iustitiam non sine crimine Maiestatis læse violenter oppugnant & evertunt. *In specie*, de Angelorum electione & prædestinatione ad Controversiam proximè antecessam est observatum, quid ex sensu scripturæ & Augustini sit statuendum. Eorum reprobationem iustissimam uti non possunt Evangelici negare, ita dum Bellarminus eam partim *soli Divinæ Voluntati* adscribit, ex iisdem refutari potest argumentis, quibus reprobatio hominum negativa, cujus nullam ex parte, hominum dixit causam Bellarminus, ab ipsismet in hoc puncto sanioribus Papistis paulò ante ex Augustino fuit oppugnata. Eius certè testimonia tam ex libero de *Correptione ex Gratia*, quàm ex opere de *Civitate Dei* hoc non indicant, satis clara & manifesta, si absque Interpretum, quorum quis suas peculiare infert & obtrudit hypotheses, glossis leganter & accuratè perpendantur. Donum Perseverantiæ Angelis non apostatis à Deo Creatore benigniter concessum esse non inficiantur Evangelici, sed probabiliter adfirmant, ut nullibi scriptura clarè id expresserit, per consequentiam verò ex ea deducatur, neque sit articulus ad Fidei fundamentum pertinens. Yprenis *Iansenii* contradictiones, quas Bellarmino & aliis opposuit, adprobare per omnia non possunt Evangelici, nominatim illud novum *Gratiæ adiutorium*, quod Angelis in statu concreato dicit fuisse necessarium, id à Gratia habituali, qua cum erant creati, distinguens, sed sine scripturâ, imò & sine consensu Augustini. Quamvis enim in opere de *Correptione & Gratia* alicujus adiutorii faciat mentionem, non tamen intelligit novum & peculiare quoddam à Gratia primum concreata separatum, & eidem insuper additum. Indè eodem in loco de primo homine Adamo in primo statu considerato notanter ita scribit: *Non opus habebat coadiutorio, quod implorant sancti in hac vita, cum dicunt. Video legem aliam in membris &c. quoniam in eis caro concupiscit adversus Spiritum &c. atque in tali certamine laborantes & periclitantes dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt, ille verò nulla tali rixa à seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus in illo Beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* Et quia eandem status rationem in homine & Angelis ante lapsum ab ipsa Creatione fuisse ibidem docet Augustinus, utroque agnoscit *Iansenius*, per se patet, quid per adiutorium debeat intelligi. Ut ut etiam quoad præscientiam vel lapsum, vel perseverantiæ ad tempus aliquod anceps & dubius fuerit Augustinus, ad ipsam rem id parum inservit, quia hæc etiam non attentata & abstracta statuit tandem, ut ex modo adductis patet, eos tanta instructos fuisse Gratia à primo Creationis momento, ut ulteriori *coadiutorio*, novo nimirum & peculiari, non opus fuerit, modò eadem turpiter non non abusi fuissent. Cæteras *Petavii*, *Gonetii*, *Macedonis* super Augustini loco aliqua-

aliquatenus dubio meditationes, propriis & privatis, ut monui, hypothecibus inservientes prolixius excutere non est necessarium, cum ex dictis mens Augustini non sit incognita, nobisque nunc ad alia magis necessaria duce Bellarmino progredi incumbat ex instituto.

LIBRI TERTII,

CAPUT QUINTUM & SEXTUM.

De

QUÆSTIONE,

An ad liberum Arbitrium exigatur libertas à necessitate.

ILLam nunc adgredimur Quæstionem controversam, quæ, uti post Chemnitium observavit Hülsemannus noster in Præfatione Dedicatoria ad Disputationes de *Auxiliis Gratia*, primos expresit *Luthero* vere Megalandro sudores in facum Scholasticarum absterfione, integra ante Disputationem de indulgentiis habitam proposita ad disputandum Quæstione de *viribus & voluntate hominis sine Gratia* contra doctrinam Papæ & Sophistarum, quæ primum in Tomis operum *Ienenfis* locum occupat.

Videlicet, quæ Crisis est laudati modò Theologi, nullum aptius thema videbatur, ejus veritas adpersione congruentiarum moralium ex *Aristotele* poterat labefactari, quàm hæc ipsa de *viribus arbitrii* Quæstio, ex cujus centro in universam credendorum compagem aut veritati ducuntur lineæ, aut nexus impietati, non solum circa illa capita, quæ ex necessitate mediis, ut loquuntur, sunt credenda, sed ea quoque, quæ ob necessitatem præcepti & dicentis majestatem admiranda, non juxta rationis humane decempedam erant metienda. Addatur altera *Lutheri* Disputatio sequenti Anno publicè ad Examen proposita, ejusdem cum priore argumenti, thesibus oppositis partim communi, partim multorum, partim etiam aliquorum è Scholasticorum numero nominatim sententiæ, videlicet *Scoti*, *Bielis*, *Occami*, *Cajerani*, sicut pagina primi *Ienenfis* Tomi nona & sequentibus est legere; unde principium instituto præsentis inserviens huc omnino debet adponi, quod ita habet: *Dicere, quod Augustinus contra hereticos loquatur excessivè, est dicere, Augustinum ubique ferè mentitum esse. Idem est Pelagianis & omnibus hereticis tribuere occasionem triumphandi, imò victoriam. Et idem est omnium Doctorum Ecclesiasticorum auctoritatem illusioni exponere.* Hoc ideo libuit excerpere, quia laudatus paulò ante *Chemnitius* egregie etiam observavit, quod *Augustini* tempore Dei beneficio lux aliqua sit restituta Doctrinæ de Gratia Dei, exordium & initium fuisse *re-purgationem loci de libero hominis arbitrio*. Quò majori studio laborandum est, ut *Augustini* doctrina in hoc etiam Controversiæ puncto à fulgine Scholasticorum liberetur, & orthodoxiæ Evangelicorum ex sententiâ *Lutheri* restituatur. Equidem, uti olim, ita hodiè etiam non defuerunt, qui dum *Augustinum* ad suas partes trahere non potuerunt, cum vel inconstantia, vel ad minimum alicujus obscuritatis accusare sunt conati. De antiquioribus nulla nunc nobis est cura. Inter recentiores præ aliis pluribus scribere ausus est *Nicol. Romæus*, *Brugensis*, non incelebris è Societate *Ignatii* scriptor, in *Effigie Calvinii*, maximo cum adplausu ante hos plus quàm quinquaginta annos *Antverpiæ* editâ, fatendum esse, quod *Augustinus* aliquando habeat aliquas difficiles sententias. Et quia notanter addit, *Ejus mentem potius, quàm verba spectari oportere, ne aliquando manifestè sibi contradicat*; ideo ad hujus præscriptæ observationis tenorem tractatio præfens omnium commodissimè instituetur, præmissis iterum ex morè hactenus recepto iis, quæ *Bellarmini*